



## CONGREGATIO GENERALIS XCIII

2 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur congregationem generalem 93 em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Dum plebs sancta egreditur, lego nomina eorum qui verbo uti petierunt circa schema *de divina revelatione*, nempe super capp. I et II. Sunt exc.mi PP. DD. Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Neerlandia; Casimirus Morcillo, arch. Matritensis-Complutensis in Hispania; Octavius Beras, arch. Sancti Dominici in Republica Dominicana; Antonius de Castro, ep. aux. Villaregalensis in Lusitania; Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania; Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis-Ferrolensis in Hispania; Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Ioseph de Iesu Alba, ep. Tehuantepecensis in Mexico; Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Principatu Monaco; Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus; Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia; Lucianus Rubio, prior generalis Ordinis S. Augustini; Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis Angliae O.S.B.; Raphaël Calabría, arch. Beneventanus in Italia; Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia; Franciscus Šeper, arch. Zagradiensis in Iugoslavia; Georgius Flahiff, arch. Vinnipegensis in Canada.

Deinde transitus fit ad cap. III, post relationem debitam uti patet, et circa hoc caput loqui petierunt: em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; exc.mi PP. DD. Ioannes Weber, arch. Argentinensis in Gallia; Franciscus Simons, ep. Indorensis in India; Primus Gasbarri, ep. adm. ap. Grossetanus in Italia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Carolus Maloney, ep. aux. Ludovicopolitanus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Venerabiles Patres, forsan iam distributus est vobis fasciculus continens relationem circa tria priora capita *de Oecumenismo* et modum suffragandi schema decreti *de Oecumenismo*. Hunc modum parcat si legam.\* Videatis paginam alteram post frontem huius fasciculi, et prae oculis etiam habeatis schema decreti *de Oecumenismo*.

---

\* Cf. pag. 271.



Fiet una suffragatio pro n. 1 (uti videtis, schema est distinctus numeris); II suffragatio pro n. 2; III suffragatio pro n. 3; IV suffragatio pro n. 4.

Deinde, cum caput completum sit, fiet quinta suffragatio de integro capite cum prooemio; fiet, venerabiles Patres, si vobis placuerit, ut patet.

Deinde: VI suffragatio pro nn. 5 et 6; VII suffragatio pro n. 7; VIII pro n. 8; IX pro nn. 9-12.

Etiam nunc cadit suffragatio super integrum caput, quod comprehendit nn. 5-12.

XI suffragatio est pro n. 13; XII suffragatio est pro nn. 14-18; XIII suffragatio est pro nn. 19-24.

Et tandem XIV suffragatio erit de integro cap. III.

Uti iam fecimus pro schemate *de Ecclesia*, quoad singulas suffragationes, nempe circa puncta, votum erit *placet* vel *non placet*; quando vero fiet suffragatio super integra capita, nempe super unumquodque singulum caput, tunc formula erit triplex: *placet, non placet, placet iuxta modum*, et in hoc casu modi scribendi et subsignandi sunt, ut ceterum pluries ad abundantiam dictum est.

Porro circa hunc modum suffragandi em.mi moderatores volunt cognoscere consilium, mentem amplissimi huius coetus, et haec mens, hoc suffragium exquiretur versus horam 12 huius congregationis, per erectionem personae vel per sessionem. Ergo hora 12, Patres venerabiles, rogamini ut vestris locis stetis universi.

Post exactam disceptationem circa schema *de divina revelatione* incipiet disceptatio super schema *de apostolatu laicorum*, et, ut Ordo praescribit, circa hoc schema disceptatio fiet ita: imprimis de principiis generalibus; deinde, postquam exquisitum fuerit votum congregationis generalis an istud schema possit esse basis ulterioris discussionis, fiet transitus ad capita.

Idem modus servabitur etiam cum disceptabitur de sequenti schemate, nempe *de Ecclesia in mundo huius temporis*.

Qua ratione pro divina revelatione id factum non est? Factum non est, quia discussio generalis iam facta est in prima sessione huius Concilii, itaque, ut Ordo postulabat, transitus factus est ad singula capita discutienda, ut nunc facimus.

Ergo, Patres, versus horam 12 exquiretur vestrum suffragium circa modum suffragandi tria priora capita schematis de Oecumenismo. Gratias.



## 1

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD

*Episcopus Harlemensis**Venerabiles Patres,*

Nomine conferentiae episcoporum Neerlandicae relate ad schema *de divina revelatione* c. 2, sequentia proferre velim. Gratias quam maximas agens ob novam hanc redactionem, quae tam pro Ecclesia catholica ipsa quam pro relationibus inter communitates ecclesiales maximi erit momenti, unam tamen animadversionem adiicere velim, ut momentum eius oecumenicum adhuc manifestius pateret.

Constat, quod multi christiani non-catholici magni aestimant quandam distinctionem inter Ecclesiam apostolicam primaevam et eandem Ecclesiam fundatam super apostolos. Prima enim est canon et norma Ecclesiae temporis sic dicti post-apostolici. Ipsum hoc schema reapse innuit hanc distinctionem (v. g. pag. 15, n. 7, linn. 14-22, et etiam pag. 16, n. 8). Titulus tamen ipse (licet non sit definitivus) « Apostoli eorumque successores, praecones Evangelii » ...<sup>1</sup> hanc distinctionem diluit.

Quam ob rem, propter rei veritatem et momentum oecumenicum proponere velim ut pag. 15, in fine n. 7, addatur pericopa, in qua certa quaedam « unicitas » (germanice Einmaligkeit) Ecclesiae apostolorum prae Ecclesia temporis post-apostolici expresse affirmetur, et qua ipso facto fundamentum sternatur multorum dictorum in hoc cap. II, praesertim relate ad submissionem totius Ecclesiae traditioni et praedicationi apostolorum et virorum apostolicorum.

*Propono proinde ut*<sup>2</sup> pag. 15, n. 7, post ultimam lineam ...<sup>3</sup> sequentia *addentur*<sup>4</sup>: « Successores apostolorum seu episcopi proinde apostolos non in omnibus horum iuribus succedunt, sed usque ad consummationem temporis remanere debent « super fundamentum prophetarum et apostolorum ...<sup>5</sup> ». Dixi. Gratias.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (pag. 15, n. 7).  
<sup>3</sup> (lin. 32).      <sup>4</sup> deest.      <sup>5</sup> (cf. *Eph.* 2, 20).

<sup>2</sup> Proponuntur proinde.



## 2

Exc.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ  
*Archiepiscopus Matritensis-Complutensis*

*Venerabiles Patres conciliares, Observatores et Auditores dilectissimi,*

Novum schema de quo nostra conciliaris disceptatio, in genere admodum placet. Idcirco, ab omnibus perficiendum et perpoliendum ut in omnibus optimum evadat. In hoc sensu *nunc loquor*.<sup>1</sup>

Textus *Io. 16, 13*: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem » diversimode applicatur in schemate, nam in n. 8 Spiritus Sanctus adhibetur inducens credentes in omnem veritatem, et in n. 20 Paraclitus dicitur missus in apostolos ut apostolos perducatur « in omnem veritatem in aevum servandam ad aeternam humani generis salutem ». In par. autem 8 sensus obscurior fit ex eo quod ab Ecclesia, de qua immediate supra loquitur, transitus fit ad credentes in quibus, i. e., in unoquoque verbum Christi abundanter inhabitare facit Spiritus Sanctus.

Ad quos, ergo, verba Christi de quibus Ioannes in textu allato? Ad solos apostolos? Ad discipulos suos in communitate coniunctos? Ad singulos credentes in Christum?

Non defuerunt nec desunt qui verba illa singulis credentibus dicta fuisse intellexerunt, ita ut unusquisque horum in totam veritatis apprehensionem a Spiritu Sancto induci potest et inducetur, praecisione facta a sua unione cum Ecclesia. Nullo, tamen, argumento scripturistico haec opinio suffragari potest. Nec textus iohannicus, nec contextus nec ulla recta exegesis consentiunt cum illa. Ceterum, haec interpretatio nedum in omnem veritatem, potius in tot errores quot capita induceret et iam extra Ecclesiam catholicam induxit.

Alia interpretatio novissima vult destinatarios sermonis Christi illos esse quos ipse Christus dixit *suos* ...<sup>2</sup>. « Sui » sunt, secundum sic opinantes, ii qui in doctrina et norma vivendi cuiusdam magistri et chori-fei communicant et ipsum sequuntur. In casu nostro, « sui » sunt tota communitas credentium quae, addo ego, ut tota revera sit, una cum apostolis concipienda erit. Iuxta hanc sententiam, tota communitas, i. e., tota Ecclesia a Spiritu Sancto inducetur in omnem veritatem.

Attamen, non clare patet quod communitati loquutus fuerit Chri-



stus quia verba sua protulit quando missionem Spiritus Sancti promittebat; missionem, dico, visibilem et solemnem quae solum ad Apostolos facta est.

Dicendum, ergo, verba illa solis apostolis dicta esse sicut ipse evangelicus textus directe et expresse declarat.

Si apostolis tantum dicta, nulla difficultas. Si *suis* i. e., toti communitati discipulorum Christi, difficultates etiam evanescent, nam et christifideles et apostolos complectitur atque sensus fidei et magisterium pastorum una simul et concorditer pergunt.

Quocumque modo intelligatur, verum erit quod Ecclesia in suis primordiis totam veritatis cognitionem non est adepta, sicut apostoli ante Spiritus Sancti missionem non assecuti fuere. Postea, volventibus saeculis, sub actuosa Spiritus Sancti operositate Ecclesia perducitur in integram ac profundiore veritatem de persona Christi ac de eius Evangelio.

Recta intellectio illius eximii textus S. Ioannis, « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem », solidissimum affert fulcimentum Ecclesiae magisterio, illi praeprimis quod Successori Petri infallibiliter competit, illi deinde quod ceteris episcopis communionem habentibus cum R. Pontifice concreditum est. Laudanda, ergo, schematis verba quae in n. 10 de vivo et infallibili Ecclesiae magisterio proferuntur.

Ne tamen ansa praebeatur falsae interpretationi textus iohannici et verborum ipsius schematis, consequenter ad nuper dicta propono:

1. Ut in n. 8 ...<sup>3</sup> sic corrigatur textus: « ... et Spiritus Sanctus qui vivam vocem Evangelii in Ecclesia et per ipsam in mundo resonare facit, eamque in omnem veritatem inducit, verbum Christi in credentibus abundanter inhabitare facit ».

2. Ut in n. 10 ...<sup>4</sup> post verba « ... ac ea omnia ex uno fidei deposito haurit quae tamquam divinitus revelata credenda proponit », nova haec adiciantur: « usque dum sub ductu Spiritus Sancti ad totam veritatem perveniat ». Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> vocem meam extollere nunc audeo. <sup>2</sup> (cf. Io. 13, 1). <sup>3</sup> (linn. 26-28). <sup>4</sup> (lin. 26).



## 3

Exc.MUS P. D. OCTAVIUS ANTONIUS BERAS  
*Archiepiscopus S. Dominici*

*Venerabiles Patres, aestimatissimi Observatores, Periti et Auditores,*

Liceat mihi pauca verba dicere de cap. II schematis constitutionis *de divina revelatione*, quod inscribitur: « De divinae revelationis transmissione ».

In relatione, inter alia, legitur: « censuit submissio illis tantum postulatis attendere, quorum obiectum in *pacifica possessione* videbatur; ab iis, e contra, abstinere, quae *vexatam quaestionem* de contento obiectivo traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent » ...<sup>1</sup>.

Sane, methodus facillima, et si tali via ac ratione hoc Sacrosanctum Concilium procedere vellet, omnes vexatas quaestiones, potissimum de sacramentalitate episcopatus, de relatione inter episcopatum et primum, de cooperatione b.mae Virginis in oeconomia nostrae salutis, et ita porro, sub silentio praeterire, potuisset per paucas hebdomadas ad conclusionem pervenire.

At, quaestio poni posset imprimis: nonne praecise munus et officium Oecumenici Concilii sit quaestiones quae traditionalem doctrinam de fide et moribus tangunt, et de quibus orta est discussio, dirimere et traditionalem doctrinam stabilire?

Nullus inter nos est qui imprimis in catechismo, deinde in scholis non docuit non omnes veritates quas Deus revelavit, in sacra Biblia scriptas inveniri et per consequens: « Existit traditio, quae est fons revelationis distinctus a S. Scriptura, Scripturamque excedens » (cf. VAN NOORT, *Tractatus de fontibus revelationis necnon de fide divina* ...<sup>2</sup>), vel prouti in Catechismo, iussu Concilii Tridentini conscripto a pluribus viris, quorum nonnulli partes habuerunt in ipsomet Concilio, legitur, nempe: « Omnis doctrinae ratio, quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur quod in Scripturam traditionesque *distributum sit* », ita ut *partim* in Scriptura, *partim* in traditionibus adest.

Si nunc Concilium non vult quaestionem nostris diebus agitatam de obiectivo contento revelationis dirimere, id differre posset, non quia venerabiles Patres non sint certi hac de re, sed quia ipsis non videatur opportunum ob unam aliamve rationem id peragere.

Quidquid sit, in uno vel alio casu, mihi videtur necessarium afferre et sollemniter confirmare verba ipsa quibus Concilium Vaticanum I

utitur, nempe quod divina revelatio, de qua est sermo « secundum universalis Ecclesiae fidem a Sancta Synodo declaratam continetur *in libris scriptis et sine scripto traditionibus*, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos pervenerunt » (cf. Concilium Vat. I, sess. III, constitutionem dogmaticam *Dei Filius ...*<sup>3</sup>), ita ut « fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur » (*ibidem ...*<sup>4</sup>).

Ne dicatur hoc aliis verbis vel melioribus, dictum esse in periodo prima (pag. 15). Nemo enim est qui ignoret vastam litteraturam existere de mutatione particulae « partim — partim » in « et... et ». Deinde quia in eadem relatione dicitur quod « omnia et singula novi textus verba sedulo ponderanda sunt, hoc praesertim intuitu: ne ulla duarum sententiarum alteram superaret, nec ulla tamquam suffocata exinde haberetur » ...<sup>5</sup>, facili negotio concludi potest quod aderunt etiam qui singulas mutationes Tridentini et Vaticani I ponderando vellent ibi invenire quod desiderant. Propterea propono ut post primam periodum afferantur praeallegata verba Concilii Vaticani I qua talia idque sequenti modo: « quapropter Sacrosanctum Concilium Vaticanum II suam facit declarationem Vaticani I et Tridentini, nempe ... etc. ».

Hanc declarationem Vaticani I et Tridentini ponderando numquam deficient theologi qui, quemadmodum ultimis quattuor saeculis, ita deinceps docebunt illam traditionalem doctrinam a Tridentino declaratam et a Vaticano I confirmatam, nempe haberi veritates revelatas quae non continentur in Sacra Scriptura, i. e. in sacris libris exaratis ante mortem ultimi apostolorum; a. v.: docebunt quod existit non tantum traditio inhaesiva et declarativa, verum etiam constitutiva.

Haec sententia apparet haud parvi ponderis, potissimum quando sermo fit de tribus dogmatibus marialibus, nempe perpetua virginitate, immaculata conceptione et assumptione. Notum est quosdam potissimum recentiores viros protestanticos haec dogmata reicere, quia nisi principio « solius Scripturae » traditionem reiciunt (cf. *De Mariologia et oecumenismo ...*<sup>6</sup>). Alia ex parte, haud desunt catholici viri qui tenent haec dogmata marialia non ex Scriptura, sed ex traditione probari posse. Ita e. g. scripsit Michel: « Recentissima definitio dogmatica assumptionis in sacra Scriptura ne implicite quidem contenta videtur », et varii auctores virginitatem *in* et *post* partum ex traditione eruunt (cf. *De Scriptura et Traditione ...*<sup>7</sup>).

Venerabiles Patres, in litteris quas nomine episcopatus Reipublicae Dominicanae, die 15 augusti c. a. ad vos omnes misi, vos certiores feci de celebratione Congressus Mariologico-Mariani Internationalis, qui,



sic Summo Pontifice Paulo VI disponente, in Santo Domingo, in America Centrali, diebus 18-25 martii anni proximi ...<sup>8</sup>, celebrabitur. Hisce vero litteris vos omnes ad hunc Congressum invitavi, necnon vestrum auxilium petii, communicans vobiscum quod thema Congressus Mariologici erit: « Maria in Sacra Scriptura ».

Haud dubitamus quin Consilium permanens Congressibus mariologicis-marianis internationalibus celebrandis, quod in sinu Pontificiae Academiae Marianae invenitur, nihil intentatum relinquet, ut melioris notae exegetae diversarum tendentiarum, utendo omnibus mediis quibus exegesis catholica hodie disponit, omnem lapidem movebunt, ut in ipsis sacris Litteris inveniant illa dogmata mariana, quae a Fratribus separatis reiciuntur. At, si exegesis catholica etiam hoc obtineret...

*Moderator:* Exc.me Pater, tempus tuum actum est. Velis concludere.

*Orator:* At, si exegesis catholica — concludo — etiam hoc obtineret, esset verum id quod unus ex aestimatissimis Observatoribus edixit, nempe quod tale « miraculum exegeticum » minime finem poneret controversiae intra nos et Fratres separatos, quia controversia non praecise doctrinis mariologicis, sed aliis quae respiciunt systema theologicum quae tale nititur.

Et inter illa principia certo adest notio vera traditionis, non tantum inhaesivae verum etiam constitutivae. Et si ita res est, quaestio ponitur: nonne magis esset opportunum potius quam hanc vexatam quaestionem silentio praeterire, illam ad trutinam revocare, quia de fundamentis agitur, vel saltem iam nunc ita quaestionem de transmissione revelationis proponere, ut de traditionali doctrina catholica quoad veram notionem traditionis nullum reale dubium oriri queat? Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (pag. 19). <sup>2</sup> n. 143. <sup>3</sup> MANSI, LI, 431.  
<sup>4</sup> 432. <sup>5</sup> (pag. 19). <sup>6</sup> Romae, 1962, pag. 486 ss. <sup>7</sup> Romae, 1963,  
pag. 12, 633. <sup>8</sup> 1965.

## 4

Exc.MUS P. D. ANTONIUS DE CASTRO XAVIER MONTEIRO

*Episcopus tit. Ombitanus, aux. Villaregalensis*

*Venerabiles Patres,*

Cum aliquod adiumentum definitivae cap. II redactioni afferre possint animadversiones quae sequuntur, *secretariatus easdem misi. Cum vero aliquod momentum pro aula conciliari habere viderentur, summu-*



*lam istam venerabilibus Patribus libentissime et brevissime his verbis tradam.*

*Etiam*<sup>1</sup> de illo novo numero, scil. 8, versantur. Agitur *ibi, ut scitur*,<sup>2</sup> de Sacra Traditione.

Mihi placet illa descriptio synthetica traditionis in verbis Tridentini Concilii inspirata; etiam mihi opportuna videntur citationes ...<sup>3</sup> S. Pauli et Iudae; sed cum agatur de traditione dogmatica, oportet ut aliquod textui addatur, ut firmiter et absque ambiguitate in eodem textu *infallibilitas*<sup>4</sup> declaretur illius transmissionis doctrinae fidei et morum, inde ab apostolis, ope ...<sup>5</sup> praedicationis et fidei Ecclesiae.

*Ratio*<sup>6</sup>: multi sunt *auctores*<sup>7</sup> qui traditionem ut *fontem*<sup>8</sup> divinae Revelationis respuunt praecise propter hoc: quia traditio, natura sua, corruptioni obnoxia est. Immo, non defuerunt illi qui Ecclesiam iam defecisse in doctrina circa graviores veritates fidei et morum proclamaverint.

Generali autem historia Ecclesiae, praesertim vero Conciliorum historia, inde a temporibus apostolicis usque ad hoc Oecumenicum Concilium Vaticanum II, apodictice demonstratur quanta cum cura et labore Ecclesia, in decursu temporum, erroribus restiterit et corruptioni sese opposuerit, ut doctrina fidei et morum fideliter custodiretur atque infallibiliter declararetur. *Ergo puritas doctrinae fidei nostrae traditione acceptae strenue defendenda mihi videtur. Textus constitutionis meae humili opinione in hoc deficiens apparet.*<sup>9</sup>

Cum res ita sint, propono. Textus *qui prostat*<sup>10</sup> (in pag. 16, in linn. 8 s.) qui sic sonat: « Quod vero ab apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sanctam ducendam fidemque augendam conferunt, sicque Ecclesia, in sua doctrina, vita et cultu, omne illud perpetuat cunctisque generationibus transmittit quod ipsa est, omne quod habet, omne quod credit.

*Viva enim*<sup>11</sup> haec Traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit »; *propono, si mihi licet*,<sup>12</sup> hac nova substituatur redactione, nempe: Quod vero ab apostolis traditum est, ea omnia complectitur quae ad populi Dei vitam sancte ducendam fidemque augendam conferunt, idipsum Ecclesia, in essentialibus suae doctrinae, vitae et cultus, fideliter perpetuat cunctisque generationibus incorruptibiliter transmittit.

(*Aliis demptis*)<sup>13</sup>. *Viva enim haec traditio, in Ecclesia, sub assistentia Spiritus Sancti proficit. Etc.*

*Concludo.* Si nos in n. 11 *capitis sequentis*<sup>14</sup> inerrantiam Sacrae Scripturae affirmamus, et optime quidem, asserere nunc ne timeamus incor-



ruptibilitatem Divinae Traditionis quae, *ut multi theologi dicunt*,<sup>15</sup> pluribus titulis ipsam Sacram Scripturam antecellit. Dixi. Gratias.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> doctrinali commissione eas libentissime trado.  
<sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> epistularum. <sup>4</sup> infallibilitatem. <sup>5</sup> oralis. <sup>6</sup> Nam.  
<sup>7</sup> adversarii. <sup>8</sup> fons. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> deest.  
<sup>13</sup> deest. <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> deest.

## 5

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ

*Episcopus Auriensis*

*Em.mi ac rev.mi Patres conciliares,*

Ex corde gratulamur commissioni theologicae, quae fere ex integro confecit cap. II de revelatione, ut in votis erat apud plurimos. Valde enim desiderabatur de traditione vitali in hoc Concilio tractare, cum hodierna die tanti habeatur. Illi enim progressus dogmatum tribuitur.

Valde placent fere omnia, quae in hoc schemate continentur. Ast debet perfici. Quaedam dicam de n. 8, non ad modum emendationis, sed potius ut melius exprimatur, quod in mente est omnium.

In pag. 16, linn. 13 ss. dicitur: « Viva haec traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit. Crescit enim tam rerum quam verborum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui eam conferunt in corde suo ...<sup>1</sup>, tum ex intima rerum spiritualium experientia ».

Huiusmodi verba possent intelligi, quasi exclusivo modo probaretur via, sic dicta, affectiva et munus rationis *et alia ignorentur*<sup>2</sup> eiusque momentum in progressu dogmatis, contemnatur.

Inde opportunum duco quod de munere rationis, non tantum intelligentiae, quae sensum ambiguum habere potest, expresse locutio fiat. Nec satis sit ad illam alludere per citationem Conc. Vaticani I, quae de illa agit, *ut fit*<sup>3</sup> in relatione.

Maxime cum dicitur: « Crescit..., tum ex intima spiritualium rerum experientia ». Haec propositio ad praeposterum sensum trahi potest, quasi aliquas veritates dogmaticas ex intima conscientia ortum habere posse. Proinde aliquid addendum humiliter opinor, ut mala interpretatio *praecludatur*.<sup>4</sup>

Postremo, non abs re esset indicare quod etiam eventus historici patefaciant nonnumquam sensum verborum Dei in revelatione, sicut etiam apostolis ipsis contigit. Ipse enim Deus qui fecit revelationem,

cursus factorum dirigit, speciatim quae respiciunt historiam salutis hominum. Fere sicuti in adimplerione prophetiarum, clarius sensus earum percipiuntur. Sunt enim dogmata, quae ad modum prophetiae eventus historicos respiciunt, ut constitutio Ecclesiae, *exempli causa*,<sup>5</sup> et illis *ipsa dogmata*<sup>6</sup> verificantur.

Ex his omnibus, venia vestra, audeo proponere, quod textus huiusmodi perficiatur seu compleatur. Emendatio posset his vel similibus verbis perfici: « Crescit enim tam rerum quam verborum intelligentia, tum ex contemplatione credentium, qui eam conferunt in corde suo (*nunc venit mea emendatio*<sup>7</sup>) tum ope rationis, quae diversa revelata inter se comparat, ut potior notitia obtineatur, vel analogiae adiutorio res divinas perscrutatur » (ex Conc. Vaticano I, sess. 3, cap. 4...<sup>8</sup>) — *prosequor*<sup>9</sup>: « ex intima quoque spiritualium rerum experientia » — *quibus addatur*<sup>10</sup>: « qua in sacro deposito revelatio contenta innotescit, aut ex historia denique, quae mentem divinam nobis aperire queit de quibusdam revelatis quae facta externa *historica*<sup>11</sup> respiciunt ».

Haec mihi mutanda vel addenda videntur, eo quod in textu intentio progressum fidei declarandi manifestatur. Hoc tamen deficienter — *ut puto*<sup>12</sup> — efficitur, et cum periculo malae interpretationis.

De relatione inter Sacram Scripturam et traditionem, i. e., utrum in traditione aliquae veritates non contentae in Sacra Scriptura habeantur, incongruentiam quamdam invenio. Ecce:

In schemate *de Ecclesia*, cap. III, n. 25, in pag. 68 ss. (*non cito verba sed haec doctrina habetur*<sup>13</sup>): docetur infallibilitas magisterii Ecclesiae universalis, cum totum *id est omnes episcopi*<sup>14</sup> cum Papa aliquam doctrinam tradit ut definitive tenendam.

Iam vero videtur non posse dubitari episcopos omnes cum Romano Pontifice per saecula docuisse, ut veritatem dogmaticam ab omnibus tenendam, traditionem aliquas veritates continere, de quibus fundamentum *serium* non est in Sacra Scriptura.

Hoc prae oculis habito, non intelligitur quomodo in eodem Concilio contendimus studiose praescindere ab hac doctrina, *et liberam* pro disputatione illam relinquere, et simul tradere principium doctrinale de valore Magisterii Universalis, *quod obligat* ad illam credendam. Forte multis videbimur nosmetipsos contradicere...<sup>15</sup>. Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (Lc. 2, 19 et 31). <sup>2</sup> ignoretur. <sup>3</sup> factam.  
<sup>4</sup> impediatur. <sup>5</sup> deest. <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> (...). <sup>8</sup> DENZ.-SCHÖN. 3016.  
<sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> deest. <sup>13</sup> dicitur: « Licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed communionis nexum inter se et cum Successore Petri servantes, authentice res fidei et morum docentes in unam sententiam tamquam definitive



tenendam conveniunt, doctrinam Christi infallibiliter enuntiant ». Seu. <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> Multo minus intelligitur, quod doctrina, quae per saecula fuit edocta, immo quae agnoscitur ut vera, positive ignoretur, et occasio detur ut impugnetur, et quae novissima est et plurimis non probata edoceatur.

## 6

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA  
*Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis*

*Venerabiles Patres,*

*Breviter, ne in inutile et vitandas reiterationes incidamus, aliqua paucissima verba circa nn. 8, 9 et 10 cap. II humiliter dicam.<sup>1</sup>*

Valde placet quod commissio, iuxta postulata plurimorum Patrum, doctrinae de divina traditione accuratiorem redactionem dederit, magis fidelem Tridentinae Synodo. Propterea non possum non laudare quod schema aperte doceat traditionem divinam esse *continuo operantem* in Ecclesia, adeo ut indesinenter « Spiritus Veritatis vivam Ecclesiae<sup>2</sup> vocem in Ecclesia resonare faciat, credentes in omnem promissam veritatem inducendo » (pag. 16, n. 8, lin. 25 ...<sup>3</sup>).

In textu citato affirmatur, traditionem et Scripturam *pari pietatis affectu ac reverentia* accipiendas ac venerandas esse. Et ratio his verbis ...<sup>4</sup> indicatur: « nam ambae, Scriptura nempe et traditio, ex eadem divina scaturigine promanant » ...<sup>5</sup>.

In n. 10 Scriptura et traditio bene et clare distinguuntur a « *magisterio Ecclesiae* » his verbis: « munus authentice interpretandi verbum Dei *scriptum vel traditum* soli vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est ». *His verbis explicitè et inconfuse affirmatur<sup>6</sup>* Scripturam et traditionem antecedere et praevalere ipsi magisterio infallibili.

Nunc autem aliquam emendationem, meo iudicio necessariam, insinuare vellem.

Etenim in n. 9, linn. 35-36 dicitur *ad litteram<sup>7</sup>*: « Sacra Scriptura est locutio Dei, quatenus divino afflante Spiritu consignata », quae quidem verba omnino recta sunt et accurata. Sed minus proprie, ni fallor, prosequitur textus: « Sacra traditio autem, mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium, assistente Spiritu Sancto fideliter transmissa ».

His verbis *traditio nihil aliud est quam Ecclesiae praeconium, factum assistente Spiritu Sancto, quod quidem nihil aliud est quam magisterium Ecclesiae.*



Nam traditio est, non a Spiritu Sancto mere *assistente*, prout hic dicitur, sed a Spiritu Sancto *semper* Ecclesiae catholicae *perpetuo suggerente*, actione antecedente et positiva.

*Conclusio.* Ne igitur in nostri schematis n. 9 divina traditio confundatur vel aequiparetur magisterio, servatis in eodem numero omnibus quae vera sunt, humiliter propono ut ipsa *divinae traditionis notio perficiatur hoc modo*: « S. Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignata; s. traditio autem, a *Spiritu Sancto est, Ecclesiam iugiter in omnem veritatem deducente* (...<sup>8</sup> odogesei), qua mens, doctrina, exempla et mandata Christi per apostolorum eorumque successorum praeconium fideliter transmissa *perdurant* ».

In hoc textu, quem propono, verba addita ad divinae traditionis notionem perficiendam, fere ad litteram deprompta sunt verbis Conciliorum Nicaeni II et Tridentini. Dixi.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> Evangelii. <sup>3</sup> pag. 23, linn. 9 ss.  
<sup>4</sup> ibi. <sup>5</sup> (n. 9). <sup>6</sup> Hic ergo affirmatur et quidem explicite et inconfuse  
<sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> cf. Io. 16, 13.

## 7

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO  
*Archiepiscopus Barensis*

*Venerabiles Patres,*

Valde placet quod numerus novus, nempe 8, in cap. II, olim I, nostri schematis exaratus sit ad ampliorem praebendam traditionis expositionem.

Praecipue laude dignum videtur criterium a submissione habitum, de quo verbum fit in animadversione praevia ad relationes de singulis numeris, ubi legitur: « Censuit submissio iis tantum postulatis attendere, quorum obiectum in pacifica possessione videbatur; ab iis e contra abstinere, quae vexatam quaestionem de contento obiectivo traditionis comparative ad Scripturam denuo excitarent ».

Optime quidem. Ideo propositum probatur dandi in novo numero expositionem completam notionis traditionis, quoad totum eius historicum conspectum. Indicantur enim varia historica momenta theologicae reflexionis circa traditionem: ab eis, quae apostoli ipsi, S. Paulus praesertim, de traditione sentierunt et affirmarunt, ad acceptionem vivam et dynamicam conceptus traditionis, quae a non paucis hodierni temporis theologis propugnatur, quamvis tamen fatere debeam non per-

fecte intellegere quid in concreto sibi velint — in contextu — sive profectus traditionis sive potissimum verborum traditorum intellegentiae incrementum, et ob aliquas locutiones adhibitae et quia nihil de magisterio dicitur.

Quoquo modo, praecise quia in schemate conspectus tam latus et, necessario fortasse in brevitate, non semper sufficienter determinatus traditionis exhibetur, aliqua perplexitas, imo anxietas, exsurgit, *quae etiam post auditam perlucidam relationem maioritatis perseverat*,<sup>1</sup> circa modum intendendi et determinandi traditionem ipsam in casibus — et hoc est factum, quod omnibus clarum apparet, non autem vexata quaestio — in quibus aliquae veritates fidei inveniuntur, absque ullo dubio, in sola traditione. Agitur, evidenter, istis in casibus, de traditione *obiectiva constitutiva*, quidquid sit de verbis, determinanda.

Profecto nemo negare potest haberi in doctrina catholica quaedam ut iam certa et definita, quae nullo modo constat, nisi contrarium probetur, in Scriptura inveniri. Talia sunt, v. g. numerus septenarius sacramentorum, efficacia sacramentorum ex opere operato, validitas baptismi ab haereticis collati (sunt veritates de fide, a Concilio Tridentino definitae), B. M. V. in caelum assumptio (est veritas a Pio XII f. r. definita ut de fide) etc. Quomodo haec omnia in Scriptura inveniuntur difficile est videre et tamen doctrinam certam et definitam constituunt. « Magisterium autem — sunt verba nostri textus — non supra Verbum Dei est, sed ei ministrat, docens non nisi quod traditum est ». Ergo quod traditum est, ab apostolis scil., quia revelatio cum ultimo apostolorum conclusa est, obiective est determinandum relate ad veritates, quae definiuntur.

Hoc videtur necessario indicandum, cum non pauci exsistent, qui existentiam traditionis constitutivae omnino negant, traditionem *interpretativam* tantummodo admittentes. Quod reapse significat *sufficientiam* Scripturae quoad omnes veritates vindicare, non solum sensu quod omnes veritates ad Scripturam aliquomodo *reduci* queant, cum omnes veritates in veritatibus sic dictis centralibus fundamentum habeant, quae certo veritates centrales in Scriptura continentur, sed etiam sensu quod omnes veritates e Scriptura possint *deduci*.

Eo vel magis perplexitas et anxietas manent quia, quamvis opportune in textu emendato, n. 9, omittantur verba « ut altera alteri extranea non sit » (nempe traditio Scripturae et vicissim), quae verba erant in textu priori, et hoc sane ne sententia de sufficientia Scripturae videatur supponi, ut in relatione de n. 9 asseritur, in linn. tamen 22-25, n. 8, videri posset induci vel saltem innui formula quae proponit totum esse in Scriptura et totum in Traditione, quamvis diversimode.



Peropportunum itaque esset, *ut iam alii Patres sive hesternae die sive hodie dixerunt*,<sup>2</sup> ad omnes difficultates et anxietates praecavendas, includere in *nostro textu*<sup>3</sup> verba ipsa Tridentini, sicut illa eadem verba adhibuit Vaticanum I (Constitut. Dogm. *Dei Filius*, cap. ...<sup>4</sup> De revelatione ...<sup>5</sup>), i. e. « hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab apostolis acceptae, aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt » ...<sup>6</sup>.

Quae maior claritas in hac doctrina affirmanda et relationibus oecumenicis, meo humili iudicio, maxime proderit. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> textu hoc. <sup>4</sup> II. <sup>5</sup> DENZ.-SCHÖN, 3006. <sup>6</sup> (Sess. IV, Decretum de libris sacris et de traditionibus recipiendis, DENZ.-SCHÖN, 1501).

## 8

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE IESU ALBA PALACIOS

*Episcopus Tebuantepecensis*

*Venerabiles Patres, Auditores et Observatores,*

Grati sumus commissioni doctrinali, eo quod maiori amplitudine in nostro capite agitur de Traditione.

Ad titulum numeri novi, de Sacra traditione, videretur opportunius substituere: « De divina traditione », ut clarius appareat agi de divina revelatione per traditionem transmissa, nec ansa daretur aequivocationi seu confusio; Ecclesiastica enim traditio et similiter traditio mere apostolica possunt quadamtenus sacrae vocari, dum, e contra, usus perantiquus nullam ambiguitatem permittit quando verbum Dei scriptum vocatur Sacra Scriptura.

In linn. 5-19 eiusdem novi n. 8, in pag. 16, non videtur haberi clara expressio de praecipuo organo transmissionis verbi Dei traditi, i. e. praedicationis verbi per praepositos Ecclesiae, de quibus clare locutus est S. Paulus, cuius textus in Epistolis Pastoralibus omitto.

Sufficiat recolere textum notissimum S. Irenaei: « Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturam reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? ».

In linn. 19 et 20 dicitur: « Sanctorum Patrum dicta huius traditionis vivificam testificantur praesentiam »; quod quidem verissimum est;

forte clarius esset exprimendum hanc testificationem ab Ecclesia recognitam esse maximam dotem Patrum in rebus fidei et morum; ne, sicut in nota ad litteram K pag. 22, videatur munus praecipuum Patrum fuisse systematizationem acceptae ab ipsis revelationis, quamvis enim hoc officium sit maximi momenti in Patribus, praecipue autem in Doctoribus Ecclesiae, quoad transmissionem revelati veri qualitas testis est primaria.

Videtur mihi omnino laudandus modus procedendi commissionis in praescindendo a quaestione difficili et disputata de duobus fontibus revelationis et de veritatibus quae forte contineantur unice in traditione, non autem in Sacra Scriptura. Certum est Concilium Tridentinum noluisse definire hanc sententiam. Certe aliqui Patres hanc sententiam novam, incognitam ante finem Medii Aevi, tenebant (hanc sententiam) et ideo proposuerant ut diceretur « partim-partim ». Sed hoc non habetur in definitione. Videtur ratio cur non ita definitum fuit quia omnes cognoscebant doctrinam S. Thomae. Summa S. Thomae praesidebat sessionibus Concilii Tridentini. Iam vero S. Thomas dicit omnes veritates ad salutem necessarias contineri in S. Scriptura. Similiter dicit in Summa Theologica ad probandam doctrinam fidei argumentum deberi sumi ex S. Scriptura, esse unicum hoc argumentum validum.

Propositae sunt rationes de magisterio ordinario. Sed Summus Pontifex Pius XII in Encyclica dogmatica *Humani Generis* expresse nos monet quod Summi Pontifices nolunt definire quaestiones disputatas in scholis, in documentis magisterii ordinarii, nisi hoc expresse dicant; v. g. Summus Pontifex Pius XII definivit — saltem in posterum — qualis sit materia, qualis sit forma in sacris ordinibus, quamvis antea S. Thomas aliter censuerit.

Dicit Summus Pontifex nobis redeundum esse ad fontes. Hic agitur de quaestione disputata.

Argumentum quoad sensum fidelium videtur omnino infirmum. Certe fideles nostri sciunt adesse in Ecclesia catholica — et nos distingui a protestantibus eo quod non admittimus unice Sacram Scripturam, admittimus etiam traditionem. Sed est quaestio iam valde subtilis, utrum aliqua veritas inveniatur tantum in traditione et non in Scriptura. Videtur impossibile quod fideles mediocriter exculti in sacra doctrina possint de hac quaestione opinari.

Veniamus ad exempla. Dicitur de canone; sed omnes scimus quod, quoad canonem Sacrae Scripturae, multa innuuntur et continentur certe in ipsa Sacra Scriptura. In libro Ecclesiastici habetur aliquis canon, possemus dicere, de libris Veteris Testamenti. Postea S. Ioannes certe supponit Synoptica, S. Lucas in Actibus Apostolorum alludit ad Evange-



lium, supponit S. Marcum. S. Ioannes praesentat suum ipsum Evangelium in Prima Epistola. Ipse Liber Apocalypsis est testis propriae inspirationis. Non possumus dicere quod agatur de petitione principii, nam hic non habetur argumentum philosophicum neque apologeticum; est theologicum!

Postea quoad sacramenta. Omnes nos in scholis conati sumus probare sacramentalitatem per verba Sacrae Scripturae, etiam sacramentalitatem matrimonii. Ipsum argumentum solum ex Sacra Scriptura forte non esset sufficienter efficax, sed simul cum traditione est efficax.

Quoad Immaculatam Conceptionem et Assumptionem, Summi Pontifices curarunt fundare suam definitionem in Protoevangelio et in salutatione angelica, in doctrina S. Pauli circa effectus Redemptionis et etiam in Apocalypsi.

Non est demonstratio mathematica, quam non possumus quaerere in re theologica; sed similiter non potest haberi demonstratio mathematica quoad traditionem.

Documenta clara traditionis quoad haec dogmata sunt posteriora.

Igitur, sicut S. Paulus et ipse Dominus Noster Iesus Christus proposita argumenta scripturistica, quae mathematice non sunt valida, v. g. Dominus Noster probavit Resurrectionem ex eo quod Deus sit Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob; S. Paulus libertatem christianorum a lege mosaica eo quod Abraham habuit duas uxores, Saram et Agar, quae genuerunt duos filios, unum natum ex libera, alium autem ex ancilla...

Ideo videtur quod volumus accommodare categorias cartesianas ad Sacram Scripturam. Dixi.

---

*Textus scripto traditus:*

Grati sumus commissioni doctrinali, eo quod maiori amplitudine in nostro capite agitur de traditione, ita ut non amplius consideretur veluti « cenerentola », ut aliquis Patrum conquerebatur.

Ad titulum numeri novi, de sacra traditione, videretur opportunius substituere: « de divina traditione », ut clarius appareret agi de divina revelatione per traditionem transmissa, nec ansa daretur aequivocationi seu confusio; Ecclesiastica enim traditio et similiter traditio mere apostolica possunt quadamtenus sacrae vocari, dum, e contra, usus perantiquus nullam ambiguitatem permittit quando verbum Dei scriptum vocatur Sacra Scriptura.

In linn. 5-19 eiusdem novi n. 8, in pag. 16, non videtur haberi clara expressio de praecipuo organo transmissionis verbi Dei traditi, i. e., praedicationis verbi per praepositos Ecclesiae, de quibus clare locutus est S. Paulus in epistolis pastoralibus, v. g., in 2 ad Timotheum (2, 2): « Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios

docere », et in Epistola *ad Titum* (1, 7 s.): « Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem... amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere ».

Hunc esse inviolabilem et unice securum tramitem testantur primi Ecclesiae Patres, v. g. S. Polycarpus et S. Ignatius sicuti S. Clemens Romanus, praecipue autem S. Irenaeus et Tertullianus.

Sufficiat recolere textum notissimum S. Irenaei: « Quid autem, si neque apostoli quidem Scripturam reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? » (*Adv. Haer.* II, 4, 1).

In linn. 19-20 dicitur: « Sanctorum Patrum dicta huius traditionis vivificam testificantur praesentiam »; quod quidem verissimum est, sed clarius forte esset exprimendum hanc testificationem ab Ecclesia recognitam esse ceu maximam dotem Patrum in rebus fidei et morum; ne, sicut in notam ad litteram K, pag. 22, videatur munus praecipuum Patrum fuisse systematizationem acceptae ab ipsis revelationis, quamvis enim hoc officium sit maximi momenti in Patribus, praecipue autem in doctoribus Ecclesiae, quoad transmissionem autem revelati veri qualitas testis est primaria.

Omnino laudanda videtur prudentia commissionis doctrinalis in praescindendo a difficili et controversa quaestione de duplici fonte revelationis divinae, necnon de existentia veritatum revelatarum quae unice per divinam traditionem, non vero per Sacram Scripturam, aliquo saltem modo, ad nos usque transmittentur et ab Ecclesia possint proponi ut verbum a Deo revelatum.

Nam 1. constat aliquos Patres Concilii Tridentini habuisse talem opinionem de veritatibus contentis in traditionibus et non in Sacra Scriptura, et ideo forsitan prima formula proposita fuit: « Perspicis hanc veritatem partim contineri in libris scriptis, partim sine scripto traditionibus », sed haec formula mutata est in aliam, quae definitivam habuit approbationem: « Perspicis hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, etc. ».

Videtur rationem fuisse commissionis, opinio expressa ab uno Patre Concilii Tridentini scil.: omnem veritatem Evangelii contineri in Scripturis (HOLSTEIN, *La Tradition dans l'Eglise*, p. 101; CONGAR, *La Tradition et les Traditions, Essai historique*, p. 227, nota 37), multo autem magis doctrina valde communis usque ad finem Medii Aevi de sufficientia Scripturae Sacrae, quae nullatenus excludebat traditionem. Huius sufficientiae praeclarus testis est S. Thomas v. g. in I, q. I, a. 8, ad 2; I, q. I, a. 36, 2 ad 1 et *Quodl. VII*, q. VI, a. 1.

2. Quamvis obiiciantur textus Summorum Pontificum in quibus asseri videtur duos fontes revelationis divinae dari, scil. S. Scripturam et traditionem divinam, attendenda est doctrina S. P. Pii XII in Enc. doctrinali *Humani generis*, in qua solum excludit liberam disceptationem inter theologos, si Romani Pontifices in actis suis data opera sententiam ferunt in re hactenus controversa (DENZ. 3883-3886). Ita, v. g. factum est quoad materiam et formam Sacramenti Ordinis (DENZ. 3858 s.) quae, saltem in posterum, consistit unice in impositione manuum et verbis correspondentibus, non obstante diversa opinione multorum, inter quos S. Thomas. Numquam autem data opera sententiam tulit Summus Pontifex, quamvis perfecte noverit hanc magni momenti quaestionem de fontibus libere a catholicis controverti.

3. Quoad sensum fidelium: liceat dicere omnes catholicos qui sufficienter susceperunt fidem sub Ecclesiae magisterio, certe nosse accipiendam esse traditionem et non solum Scripturam; utrum autem dentur veritates fide divina credendae quae nullatenus in S. Scriptura contineantur, quaestio est tam difficilis, ut ipsi optimae notae theologi non sint inter se concordantes, et talis formulatio maioris extensionis traditionis, sine ulla relatione ad Scripturam, appareat omnino extranea menti maiorum doctorum scholasticorum et Patrum (CONGAR, *op. cit.*, p. 141 et s.), ideo non possumus in casu cum fructu interrogare fideles de his diversis theoriis, quas ipsi non intelligent, nec interrogationi possunt respondere.

4. Quoad Catechismos, notandum est Catechismus Romanum non uti formula « partim et partim », sed asserere: « Omnes autem doctrinae ratio quae fidelibus tradenda sit, verbo Dei continetur, quod in Scripturam traditionesque distributum est ». Haec autem expressio non aequivalet schemati priori non approbato a Tridentino, sed doctrinae definitae ab eo.

Certum est SS. Petrum Canisium et Robertum Bellarmino usos fuisse formulas « partim et partim », quamvis non constanter et sine absoluta exclusionem relativae sufficientiae S. Scripturae, et eorum formulas in posteriorum catechismorum redactionem influxum habuisse, et ita quodammodo sanxisse theoriam duorum fontium revelationis, sed nullam obligationem ideo habemus praetergrediendi doctrinam Concilii Tridentini et admittendi ut eius authenticam interpretationem illam formulam quam ipsum Concilium non adhibuit.

5. Quoad dogmata quae dicuntur contineri in traditione et non in S. Scriptura, dicendum est, nullatenus asseritur ab auctoribus catholicis aliter opinantibus omnia dogmata posse probari logice ex Scriptura independentem a traditione; sed etiam nullum dogma habetur quod inveniatur contentum in sola traditione divina, sine ulla relatione ad S. Scripturam.

a) Quoad canonem Scripturarum, certum est ipsum non posse determinari dogmatice nec apologetice ex sola Scriptura, eiusque definitio infallibilem unice potuisse fieri a magisterio authentico sub lumine traditionis vivae Ecclesiae, sed in ipsa S. Scriptura inveniuntur elementa et initia constitutionis canonis.

Nonne D. Noster Iesus Christus supponit quoad Vetus Testamentum, collectionem bene determinatam librorum Sacrorum?: « Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de Ipso erant... Necessesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysis, et prophetis, et psalmis de me » (*Lc.* 22, 27 et 44). Et revera in capitulis libri Ecclesiastici a 44 ad 50 non solum praedicantur laudes Patrum, sed implicite recognoscitur elenchus sat amplius librorum sacrorum Veteris Testamenti, quorum citationes implent paginas Evangeliorum et scriptorum apostolicorum, in quibus etiam deuterocanonici libri recognoscuntur, generatim secundum textum septuagintaviralem, qui omnes libros Veteris Testamenti continebat.

Quoad Novum Testamentum, Liber Apocalypsis de seipso testimonium perhibet, testimonium validum in argumentatione theologica, quamvis non sufficiens in apologetica (*Ap.* 22, 18).

Epistola 2 Petri testatur de collectione quadam Epistolarum S. Pauli, quas assimilat ceteris Scripturis (c. 3, 15).

Epistola 1 S. Ioannis intime connectitur cum IV Evangelio, quod fidelibus praesentat vel ipsis notum supponit.

Evangelium S. Ioannis supponit et complet Synoptica.



S. Lucas commendat proprium Evangelium et fideliter in multis fere ad litteram sequitur S. Marcum.

Ideo non potest dici canonem S. Scripturarum statutum fuisse cum omni-  
moda independentia a verbo Dei scripto et nullatenus inspirationem librorum  
canonicorum in ipsa Sacra Biblia contineri.

Quoad numerum et efficaciam sacramentorum, certum est omnia sacramenta,  
etiam matrimonium connecti cum verbo Dei scripto et Ecclesiam in ipso inniti ad  
sollemniter exponendam doctrinam sacramentalem (v. g. quoad matrimonium:  
Conc. Trident. DENZ. 1799).

Quoad dogmata Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. Mariae sem-  
per Virginis, attendendum est definitiones dogmaticas inniti praecipue in Proto-  
evangelio et salutatione angelica, sub lumine doctrinae S. Pauli de redemptione  
(*Ineffabilis Deus* et *Munificentissimus Deus*), ita ut S. Scriptura sub lumine tradi-  
tionis et lecta in vita Ecclesiae, sit firmissimum fundamentum pro fide Ecclesiae  
in his dogmatibus marianis.

Si sola S. Scriptura non potest probare haec dogmata, neque sola traditio,  
quae claram expressionem habet in saeculis iam a tempore apostolico aliquatenus  
remotis.

Non debemus quaerere mathematicas probationes in rebus fidei, hoc videretur  
cartesianismus in doctrina divina.

Sacra Scriptura legenda est in Ecclesia, in viva traditione subvigilanti et  
infallibili iudicio vivi Magisterii authentici.

## 9

Exc.MUS P. D. IOANNES RUPP

*Episcopus Monoecensis*

*Venerabiles Patres,*

(*quos em.mos, beat.mos et exc.mos dicerem, si simplicitatem evan-  
gelicam melius intellegerem!*),<sup>1</sup>

Liceat tres animadversiones exprimere ac tres emendationes pro-  
ponere.

A. Ad animadversiones:

*Prima animadversio.* Par. 8 laudatur quia sat clare exponit id quod  
traditioni competit, nempe: ea hominibus tradere quae a Deo tradita  
sunt aetate apostolica eaque sola hac sola aetate.

Duo ergo in verbo traditione includuntur: a) Traditio a Deo facta  
veritatum quas ipse revelavit; b) Transmissio earumdem veritatum de-  
cursu temporis.

Quae duo habentur et perfecte describuntur in Concilio Constanti-  
nopolitano II, saec. VI habito, quod tria capitula damnavit. Sic enim  
sonat textus: « Fidem tenemus quam verus Deus *tradidit* sanctis suis  
apostolis et sancti patres et doctores populis *tradiderunt* ».



His positis evidenter apparet quod existit *traditio divina* a traditionibus humanis valde diversa ( παράδοσεις )<sup>2</sup> quae in Scriptura parum laudantur. Videatis Mc. 7, passim, vel Epistolam ad Col. 2, 8. *Non video bene ergo, cur*<sup>3</sup> haec vox *traditio divina* in textu omnino deest.<sup>4</sup>

*Secunda animadversio*: est iuxta par. 8, linn. 13 et 14 ubi dicitur (iam memoriter omnes scimus post tam multas orationes de hac materia)<sup>5</sup>: « Traditio vivit, proficit et crescit... » etc. De hac materia nihil addere cupio quia perfecte exposita est necessaria distinctio in hac materia inter traditionem divinam et ecclesiasticam. Unum tantum dicere cupio: in prima sessione nostra huius Sacrosanctae Synodi multa dicta sunt de theologia sic dicta pastoralis, quae modo plano ac suavi procedere debet et pro qua distinctiones modo plus minusve scholastice factae omnino vitandae sunt. Video quod hodie multi ex nobis ad illa S. Thomae regressi sunt: intellectus humanus procedit componendo et dividendo!<sup>6</sup>

*Tertia animadversio*. Nihil vel fere nihil habetur in textu de « praxi Ecclesiae diuturna » in quantum fons est, saltem negativus, cognitionis traditionis divinae. Haec lacuna momento non caret.

B. Et nunc ad emendationes.

*Emendatio prima*. In pag. 15 verbum Evangelium bis invenitur. Propono quod una vice dicatur Evangelium esse Nuntium gaudii, vel Nuntium salutis vel simpliciter Nuntium bonum.

*Secunda emendatio*. Neque mihi neque pluribus episcopis vel theologis cum quibus de hac re locutus sum multum placent quae in par. 10, pag. 17, linn. 19-20 dicuntur: « Magisterium non est supra verbum Dei ». *Intelligo bene cur haec verba posita fuerint, nempe propter rem oecumenicam. Timeo tamen ne haec verba multis fratribus separatis tamquam gratuita, tamquam deus ex machina appareant, dum e contra insinuant plus minusve quod sunt catholici qui credant in hanc superioritatem magisterii supra verbum Dei,*<sup>7</sup> quod vero non respondet.

Hac de causa propono ut loco eorum verborum quae minus placent ipsa verba card. Caietani adhibeantur — *dum ultima vice Lutherum memoravi, ius habeo etiam Caietanum memorare, sed forsitan est magis periculosum!* —, verba card. Caietani adhibeantur<sup>8</sup> quae in Commentario de II<sup>a</sup>-II<sup>ac</sup>, Quaestione I, art. 1, ante annum 1510, i. e. ante Reformationem — *ergo honeste*<sup>9</sup> — scripta sunt: auctoritas Ecclesiae est ministra Verbi Dei, et optime distinguit auctoritatem veritatis increatae, auctoritatem Dei ipsius, et auctoritatem hominum qui Verbo Dei inserviunt.<sup>10</sup> Ut ergo illa « diaconia » magisterii erga Verbum etiam melius intelligatur, verba Caietani sic amplificari possent in eodem sensu



*eademque sententia*<sup>11</sup>: « auctoritas Ecclesiae quae est ministra et serva Verbi Dei » et reliqua.

*Tertia emendatio* et ultima. In eadem paragrapho ubi verbum « infallibile » assumitur, propono ut character praesertim *negativus* huius conceptus in memoriam revocetur.

Propterea humiliter propono quod verbum « infallibile », quod in lin. 16 habetur, simpliciter deleatur et alio loco ponatur nempe lin. 19, quod sic, *cum iis quae antea diximus contracta sunt*,<sup>12</sup> legeretur: « Quod quidem magisterium, infallibili Dei assistentia ab errore praeservatum ubi revelata modo definitivo exponit, ministrum est ac servum Verbi Dei ». Dixi.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> Ergo forte bonum esset si. <sup>4</sup> inveniretur. <sup>5</sup> deest. <sup>6</sup> Traditio vivit, proficit et crescit. Laudabiliter hic elementum dynamicum et internum introducit. Sed si *traditio* est *verbum Dei* uti asserunt etiam textus nostri, quomodo crescere vel proficere potest? Ergo clarior distinctio afferri debet inter depositum fidei et transmissionem depositi seu inter *traditionem* proprie dictam et vehicula traditionis (ad vitandas aequivocationes). <sup>7</sup> Haec enim verba ex una parte possunt considerari ut gratuita, ut deus ex machina, ex altera parte insinuant quod catholici ipsi hanc superioritatem magisterii supra Verbum plus minusve admittunt. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> deest.

## 10

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ

*Episcopus tit. Sululitanus**Venerabiles Patres conciliares,*

Observationes in schema constitutionis *de divina revelatione* (cap. I, n. 2).

In primis lineis huius capituli obvium esset ut nobis tradita fuisset — sicut ipsa verba inter uncas posita sonare videntur: De revelationis natura et obiecto — aliqua definitio huius revelationis, de qua agendum erit, accurata et nitida. Nam vox « revelatio », usitata iam in mundo latino antequam in ipso religio et doctrina christiana divulgata esset, varias habet significationes seu ampliorem sensum, quam illum quo restringitur in theologia catholica; unde confusione seu aequivoco occasio dari potest, nisi eius conceptus in hac theologia catholica nitide proponatur.

Vi ethymologica — remotio veli — vox revelatio quamlibet manifestationem alicuius rei occultae aut nondum cognitae significare valet.

Ita intuitio, sive naturalis sive supernaturalis; cognitio discursiva causarum ex earum effectibus; scientia infusa, etc. ... revelationes dici possunt. Sed minime revelationem constituunt de qua agitur in theologia catholica.

In visione et tactibus quibus apostolus Thomas agnovit Iesum resuscitatum, nec revelatio nec fides proprie dictae fuerunt; etsi ex illa agnitione *apostolus attingerit quasi*<sup>1</sup> ex motivo credibilitatis vel praeambulo fidei, *attingerit dico*<sup>2</sup> veram fidem ...<sup>3</sup> circa Christi divinitatem, ab ipso Iesu toties affirmata. « Quia vidisti me Thoma, credidisti ». Sed, ut bene dicit S. Gregorius Magnus, « aliud vidit, et aliud credit ».

Neque in discursu, quo ex mundi creati contemplatione surgimus ad cognitionem omnipotentiae et aliorum Dei attributorum, « caeli enarrant gloriam Dei », revelatio datur cui fides theologica seu divina respondeat — assensus propter Dei auctoritatem seu testimonium; — sed simplex scientia « propter intrinsecam rerum veritatem ».

Neque quaelibet scientia, etiam supernaturaliter a Deo infusa, propter hanc intrinsecam rerum veritatem, revelationem theologiam, proprium et formale fidei divinae obiectum constituere potest, cum hoc obiectum ita definitum sit a Concilio Vaticano I ...<sup>4</sup>: « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia Catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua... a Deo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem... sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ».

Quae quidem Concilii Vaticani I definitio authentice, expressius et nitidius, declarata fuit in « Iusiurando contra errores modernismi », adiectis voci *revelata* hae aliae duae, quae nullam admittunt confusionem: *dicta, testata*. En textus ...<sup>5</sup>: « certissime teneo ac sincere confiteor fidem esse... verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae “ ex auditu ”, quo nempe, quae a Deo personali... dicta testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

Haec doctrina ergo dogmatica est, et ab omnibus, sive theologis sive populo christiano profitetur, cum simpliciter revelationem divinam « verbum Dei », sive scriptum sive traditum, appellant.

Verum est in « Oeconomia revelationis » et in « historia salutis », ut dicitur in hoc cap. I n. 2, multa inveniri gesta seu facta a Deo patrata, in quibus, sicut in mundi creatione, perplura circa Dei naturam, voluntatem, providentiam, etc., nobis manifestantur, « invisibilia enim Dei ... per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur »; sed dum maneant simpliciter facta, nec verba Dei sint hominibus loquentis, obiectum materiale revelationis, et proinde fidei divinae, tantum esse poterunt; at ipsam revelationem, obiectum formale fidei, minime constituunt.



Inde, dici non potest, ut audivimus non semel heri in hac aula et ut invenitur in ipsa relatione nobis lecta *feria IV*,<sup>6</sup> pag. 7, quod et « opera a Deo patrata » et ipsius Dei « verba » sint « insimul » revelationis constitutiva elementa ». Et similis confusio, etsi non clare, vigere videtur, in ipso textu schematis, cap. I, n. 2.

Iam vero intelligere non possumus quomodo obiecta materialia alicuius actionis divinae, qualis est revelatio, vel alicuius actionis intellectus humani, qualis est fides, dici possint « elementa constitutiva », et proinde intrinseca harum actionum.

Ex alia parte, nobis videtur doctrina non solum certa, sed dogmaticae definita, fidem divinam necessario debere fundari in solo verbo seu testimonio ipsius Dei.

Fortasse textus schematis hoc non negat; sed diserandum esset ut res clare declararetur.

*Concludo*<sup>7</sup>: omnino distinguere oportet revelationem Dei activam seu personalem, a revelatione obiectiva. Haec ultima constituitur veritatibus seu factis a Deo revelatis, obiecta materialia fidei; prima constituitur verbo seu testificatione Dei, obiectum formale eiusdem fidei. Sic, ni fallimur, omnia clarescunt. Dixi.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> tanquam. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> apostolus attingerit. <sup>4</sup> (DENZ. 1789). <sup>5</sup> (DENZ. 3542). <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> Aliis verbis.

*Textus additus:*

*Theologia de fide divina et de eiusdem obiecto formali seu revelatione.*

I. *Notiones praeviae.* Notiones quidem elementales et quae proinde videri possent non necessariae, sed quarum praetermissio ansam fortasse praeberet, ut de facto aliquando praebet, non paucis confusionibus vel aequivocis. Et sit initium verbum seu conceptus *fidei*.

Ne de aliis significationibus loquamur, quia maxime concisi esse volumus, tam substantivum *fides* quam verbum *credere*, significare possunt *fiduciam* in consecutione alicuius rei, in efficacia aliquorum mediorum, in fidelitate aut bonitate alicuius personae; et est significatio a protestantibus praecipue his vocabulis tributa toties usitatis in Sacra Scriptura (cf. *Dictionnaire de Théologie Catholique*, tom. VI, s. v. *foi*).

Etiam vulgo dicitur *credere* vel *credulitas* quaelibet opinio aut suasio, quicumque sint fontes unde procedant, aut argumenta quibus fulciantur. Et sic dicimus: credo te erravisse; credo crastina die optimam tempestatem fore, etc.

Sed in theologia catholica tum vocabulum *credo*, quo symbolum fidei inchoamus, tum vocabulum *fides divina* sunt vocabula, ut ita dicam, technica, quibus proprie et exclusive significamus: *verum assensum intellectus verbo Dei summe veracis, qui loquens patribus in prophetis novissime locutus est nobis in Filio*. Et haec significatio praecisa et specifica non solum ab illa universa theologia catholica docetur, sed nunc etiam doctrina dogmatica est, definita a Concilio Vati-



cano I (cf. DENZ. 1789), et nitidius expressa in « Iusiurando contra errores Modernismi » (DENZ. 3542). En textus: « Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua... a Deo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem... sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest ». « Certissime teneo ac sincere confiteor fidem esse... verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae “ ex auditu ”, quo nempe, quae a Deo personali... dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis ».

Iuxta has magisterii supremi Ecclesiae definitiones, omnes hodie theologi catholici ut doctrinam dogmaticam docent: fidem, seu primam ex virtutibus theologalibus, quae a Concilio Tridentino « initium humanae salutis » vocatur, « fundamentum et radix omnis iustificationis sine qua impossibile est placere Deo » (DENZ. 801) *assensum esse intellectus* — « non fiduciam divinae misericordiae » ut dicebant protestantes (DENZ. 882); nec « vitalem immanentiam » vel « sensum » religiosum, uti fingunt Modernistae (DENZ. 2077-2078), — *quo a Deo revelata vera esse credimus propter auctoritatem* — non dominativam ut volebat Gullielmus Parisiensis, vel alicuius experientiae seu « intrinsecae rerum veritatis », reiectae a Conc. Vaticano I (DENZ. 1789) — sed *testimonii Dei summe veracis*, i. e., *Veritatis primae, non in essendo, nec simpliciter in cognoscendo, sed in dicendo*.

II. *Quid sit revelatio supernaturalis proprie dicta*. Ex dictis manet iam definitus conceptus revelationis divinae proprie dictae, qua in praesenti providentia voluit Deus sese hominibus manifestare, quaeque obiectum formale, unicum et necessarium, constituit fidei theologicae seu divinae, scil., *locutio testimonialis ipsius Dei*.

Nam et ipsa vox *revelatio* varias habere potest significationes. Et quidem, vi ethymologica — remotio veli — quamlibet rei occultae seu nondum cognitae manifestationem, sive naturalem sive supernaturalem, significare valet. Sic intuitio immediata, verbi gratia, primorum principiorum; cognitio discursiva causarum ex earum effectibus; scientia infusa; visio beatifica, revelationes dici possent. Sed cum in theologia loquimur de *revelatione*, nisi aliter expresse dicatur, illa semper revelatio intellegitur, quam modo definivimus: verbum Dei affirmans seu attestans quo Ipse hominibus adloquitur.

Consulto diximus: verbum seu locutio Dei *attestans*. Nam, ut docet S. Thomas (*Periberm.* lib. I, lect. VII), aliae sunt locutiones, quas ipse vocat *enuntiativas* seu affirmativas, in logica *propositiones*, in quibus tantum modo *invenitur verum et falsum*, et aliae quas vocat *ordinativas*, ut *deprecativas*, *optativas*, *interrogativas*, etc., « quae non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum vel falsum... inde est quod in nulla earum invenitur verum vel falsum, sed solum modo in enuntiativis ».

Inde est quod locutio Dei ad homines, quae exigat horum assensum veritati in ipsa contentae, qualis est revelatio obiectum formale fidei divinae, debeat esse *enuntiativa*, i. e., aliquam veritatem affirmans seu testificans.

III. *Proprius conceptus locutionis*. Cum dicimus *verbum Dei*, *locutio Dei*, omnes homines, etiam rudes, facile intellegunt, per analogiam ad verbum vel locutionem humanam, qua utitur Deus hominibus adloquens, quid significare intendimus. At cum analysim facere vel intimam essentiam huius ipsius locutionis



humanae investigare volumus, laborem non facilem adgredimur. Id ipsum nobis accidit in multis notionibus, tum ordinis supernaturalis tum ordinis naturalis. Quid sit *persona*, e. g., tum inter homines tum in Trinitate, omnes, etiam rudes, aliquo modo vere capimus; sed huius notionis intimam analysim peragere, hic opus, hic labor.

Aliqua tamen in locutionis conceptu certe attingere possumus.<sup>1</sup>

A theologis simul ac philosophis locutio definiri solet: *ordinatio mentis ad alterum*. Ex hac definitione sequitur, quod locutio vera et cordata solum modo inter entia intelligentia praedita esse vel haberi potest; nam qui mentem seu iudicium suum ad alterum ordinat certe intelligens esse debet, et similiter qui talem mentem vel iudicium capere valet.

Sed quod maximi est momenti in hac investigatione de vero conceptu revelationis seu locutionis, seu ordinationis mentis divinae ad homines, qualis nobis facta est in prophetis, in hagiographis, in apostolis, et in ipso Filio Dei, quaeque obiectum formale constituit nostrae fidei theologicae, nitida determinatio erit essentiae specificae huius mentis ordinationis seu manifestationis loquentis ad alterum.

Nam duplex est via, ut docet Conc. Vaticanum I, qua invisibilia Dei cognosci possent: alia naturalis, discursiva *per ea quae facta sunt*, alia supernaturalis et *immediata*, revelatione seu locutione divina: « Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum verum omnium principium et finem, naturalis humanae rationis lumine a rebus creatis certo cognosci posse; "invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur"; attamen placuit eius sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente apostolo: « multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in Filio » (DENZ. 1785). « Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem... » continetur « in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab apostolis acceptae aut ab ipsis apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervererunt » (DENZ. 1787).

In his Conc. Vaticani I textibus habemus clare definitam naturam utriusque viae, seu utriusque manifestationis, quibus invisibilia Dei a nobis cognosci possunt: altera per *facta*, alia per *verba*, sive scripta sive tradita, quae ab ipsius Christi ore vel a Spiritu Sancto apostoli acceperunt.

Iam vero; verba, sive oretenus prolata sive scripto consignata, sunt *signa*, et quidem signa *conventionalia*, ut patet ex diversis idiomatibus ab unoquoque populo electis, quorum tota natura seu ratio essendi in hoc consistit: ut significet aliquam ideam seu mentis iudicium.

*Facta*, utpote effectus alicuius causae, dici possunt signa naturalia eiusdem causae, ex quibus per discursum rationalem, intellectus humanus ipsam causam cognoscere potest, et haec cognitio scientia vocatur.

In verbis, utpote in signis conventionalibus, quorum essentia est significare mentem loquentis, sufficit cognoscere hanc significationem seu hanc mentem, ut

---

<sup>1</sup> Inter omnes notos maximos theologos, forsan sit Cardinalis de Lugo, in suo opere « De Fide », Sect. X, d. I, et Sect. III, et IV, qui subtiliorem et profundiorum analysim conceptus locutionis nobis reliquit.



intellectus humanus, si veracitas loquentis iam ipsi nota sit — praeambula fidei — immediate et sine ullo discursu dictae menti cognitae adherere possit.

Liceat rem illustrare aliquo exemplo. Creatio mundi *factum* est, et quidem effectus omnipotentiae, sapientiae, bonitatis Dei; unde, ex noto discursu de effectibus ad causas, possumus ascendere ad Divinitatis cognitionem. Et quidem hanc cognitionem ipse Deus et praevidit et voluit. Et tamen nec creatio mundi est revelatio proprie dicta nec, cognitio divinitatis ex creatura mundi est fides sed scientia, etsi dici possit scientia theologica. Nec obstat quod Psalmista dicat: « Caeli enarrant gloriam Dei », nam haec enarratio non est immediata et formalis sed mediata et discursiva.

Id igitur bene stabilitum maneat: facta quaelibet, dum simpliciter facti conditionem servant, ex quo, per rationalem consequentiam, aliae veritates deducantur, nec revelationem proprie dictam nec fidei divinae obiectum formale constituere posse.

At non poterit aliquod factum devenire etiam *signum*, constitutum propriae dictae revelationis et fidei obiecti formalis? Affirmative respondemus; et rem explicabimus.

IV. Etsi revelatio supernaturalis locutio seu verbum Dei appelletur, et recte quidem, quia maxima huius revelationis pars verbis, sive ore tenus prolatis, sive scriptis, hominibus communicata est, haec verba ideo illius revelationis media seu instrumenta apta esse potuerunt, quia, ut nuper diximus, *signa conventionalia*, ex ipsa sua significatione, *ordinationes sunt mentis divinae ad homines*, id quod praecise definitionem locutionis constituit.

Iam vero; nihil impedire videtur quod *factum* quoddam, sive naturale sive supernaturale, ex *conventionem* inter colloquentes, ut signum sumatur alicuius significationis seu ordinationis mentis ad alterum. Exemplo res clarescet.

Fumus signum naturale est ignis — fumus ignem declarat — quia huius effectus vel sequela, et inde ex hoc effectu seu facto devenire possumus in rationalem cognitionem ipsius causae, nempe, ignis. At si ex conventionem facta, e. g., inter ducem alicuius exercitus et eiusdem vigiles custodes, ut possibilem inimici praesentiam ipsi significarent per fumi columnam, tum iam hic fumus signum esset conventionale, eodem modo ac sonus vocis vel scriptum determinatum, ad illam inimici praesentiam duci significandam, i. e., hoc in casu, fumi columna, quae signum naturale est ignis, signum deveniret conventionale ordinationis mentis — cognitionis praesentiae inimici — custodis ad suum ducem, quae est locutionis definitio.

Eundem valorem haberet nutus seu inclinatio capitis, ex universali conventionem ut signum affirmativum recepta, in homine loquela privato, ad assensum suum significandum alicui interrogationi ipsi propositae.

In hac quaestione attentionem specialem exigunt facta miraculosa. In theologia fundamentali, generatim haec facta miraculosa proponuntur ut praeambula fidei, i. e., non ut revelatio seu locutio Dei stricte dicta, sed ut argumenta demonstrativa hanc revelationem divinam esse, quo posito, mens humana ipsi revelationi assensum immediate praestare possit. Tamen, inter veteres theologos non pauci erant qui, saltem aliqua miracula, proprie dictam revelationem seu locutionem divinam putabant; non quidem ut simplex factum, etsi supernaturale, sub quem adspicere solummodo, et mediante discursu, quaedam attributa divina, omnipotentiam, bonitatem, specialem providentiam vel etiam specialem missio-

nem thaumaturgi demonstrabant; sed quatenus signa conventionalia devenerant modo supra explicato.

Sic, exempli gratia, resurrectio Christi, ab Ipso praenuntiata ut *signum* suae divinae missionis — « generatio haec... signum quaerit et signum non dabitur ei nisi signum Ionae prophetae » (*Lc.* 11, 29; *Mt.* 12, 39-40) — praeter argumentum maximum, ut *factum*, missionis Christi et eiusdem divinitatis, ut *signum conventionale*, et proinde revelatio proprie dicta, testificatio divina immediata erat eiusdem Christi missionis.

Similiter in resurrectione Lazari, dum Christus Patri loquens publice dixit hanc resurrectionem fieri « propter populum qui circumstat... ut credat quia tu me misisti » (*Io.* 11, 42), clare indicat miraculum patrandum, praeter intrinsecam quam in se habet demonstrationem omnipotentiae divinae, et etiam, in casu, specialis benevolentiae et amoris Christi erga familiam Lazari, signum conventionale erat missionis divinae eiusdem Christi, a Patre expetitur et a Patre concessum, unde vera et propria mentis eiusdem Patris ad populum circumstantem ordinatio seu vera locutio erat. De aliis vero pluribus miraculis haec specialis signi conventionalis conditio non certo constat.

Plura circa hanc quaestionem adicere possemus; sed haec sufficient ad scopum nostrum in praesenti; qui quidem scopus his paucis verbis formulari posset; numquam *mere facta* proprie dictam revelationem nec obiectum proinde formale fidei divinae constituere valent, sed principium tantum modo cognitionis discursivae, scientificae seu theologicae et praeambula fidei. Assensus fidei, qui numquam discursivus, sed immediatus est, necessarius necessitate medii ad salutem, et qui a nullo alio assensu, etiam supernaturali, suppleri valet, solum modo revelationem proprie dictam seu locutionem testificativam Dei, sive verbis, sive scriptis sive aliis signis conventionalibus significatam, ut obiectum suum formale habere potest.

V. Ex hucusque dictis sequens observatio in schema constitutionis *de divina revelatione*, cap. I, sponte occurrit:

In initio huius capituli, in quo definitio accurata et nitida desideratur *revelationis* de qua agendum erit, quaedam confusio apparet in conceptu huius revelationis, quae obiectum formale est fidei divinae, et proinde in conceptu eiusdem fidei, quae *initium humanae salutis est fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo* (DENZ. 801).

Nam in dicto cap. I, n. 2, dicitur: « haec revelationis oeconomia fit gestis verbisque intrinsece inter se connexis, ita ut opera, in historia salutis a Deo patrata, doctrinam et rem verbis significatam manifestent et corroborent ».

Similiter in n. 4: « qua propter verbis et *operibus signis* et miraculis... (Christus) *revelationem complendo perfecit* ».

Haec omnia nobis valde confusa et aequivoca videntur, quae errori in re dogmatica fundamentali, qualis est natura revelationis et proinde fidei divinae, ansam dare potest. Re quidem vera, si revelatio, ut docet theologia catholica, populus christianus passim repetit, a Vaticano I et Iusiurando antimodernistico definitum fuit, et in ipso schemate pluries asseritur, verbum Dei est seu locutio personalis divina, non sine periculo confusionis, in textu nn. 2 et 4 cap. I, et gesta seu opera et verba, quasi eiusdem valoris in dictae revelationis oeconomia, miscentur; vel « verbis et *operibus, signis* et miraculis » eadem revelatio perfici dicitur.



Ac, si rectam huius modi loquendi intelligentiam seu explicationem, in relatione super cap. I et cap. II schematis constitutionis *de divina revelatione* ab exc.mo ac rev.mo relatore lectam, quaerimus, quae in eiusdem relationis pag. 7 dicuntur, scil.: « ipsius vero revelationis constitutiva elementa sunt simul opera et historia salutis a Deo patrata et verba quibus ipse Deus vult ut explicentur », nostram confusionem obscuriorem adhuc reddunt.

Nam, si verbum Dei seu revelatio divina actio personalis est ipsius Dei, et quidem naturae specificae, seu *in ordine locutionis*, ut supra explicavimus, quomodo *gesta, facta, opera* a Deo patrata, quaeque ut elementum a verbo Dei distinctum in ipsis textibus schematis et relationis nobis proponuntur, elementum constitutivum esse possunt eiusdem actionis personalis seu divinae locutionis?

Certe, in historia seu oeconomia salutis multa alia inveniuntur, quae nec locutio Dei sunt nec fides huic locutioni respondens, i. e.: ea omnia quae haec fides profitetur seu credit, et quae illa divina locutio seu verbum nobis testatur; de quibus theologia catholica, in suis diversis tractatibus, modo plus minusve longiore, expresse agit. Sed haec omnia *obiecta materialia* sunt et revelationis et fidei; minime, ut patet, eas constituunt. Immo inter haec obiecta materialia non pauca numerantur quae, in se ipsis, nec ordinis supernaturalis sunt, sed mere naturalia, ut docet Conc. Vaticanum I (DENZ. 1786); sed simul a Deo revelata, ut « ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint ».

Inde est, quod ipsum Conc. Vaticanum I, in sua constitutione dogmatica *de fide catholica*, tam in cap. II *de revelatione*, quam in cap. III *de fide*, de huius revelationis et fidei natura et essentialibus relationibus tantummodo agat. Miscere illa obiecta materialia revelationis et fidei cum ipsarum natura et relationibus essentialibus, sub praetextu quod, alioquin, et revelatio et fides res essent nimis intellectuales, oblivionem implicat illius veritatis: quod et locutio divina *ordinatio mentis* sit, et fides *assensus intellectus* a Conc. Vaticano I definiatur.

Fides, etsi « initium salutis » sit, « fundamentum et radix omnis iustificationis », nec totam salutem, nec totam iustificationem constituit, ut volebant protestantes. Praeter fidem, sunt aliae virtutes et theologales et morales, est *gratia*, sunt sacramenta, est redemptio Christi et alia quae continentur in Symbolo, et in tota theologia catholica, i. e., omnia *obiecta materialia* revelationis et fidei; quae cum revelatione Dei summe veracis, obiectum formale fidei, vel cum ipsa fide confundere non licet.

Unde cap. I huius schematis constitutionis *de divina revelatione*, quod hanc confusionem sapit, aut recognoscendum erit, aut saltem in ipso interpoletur haec vel similis declaratio: « Bene tamen notandum est, quod haec omnia gesta vel opera a Deo patrata in historia salutis, in tantum a Deo revelata et fide divina credenda sunt, in quantum in verbo Dei summe veracis testata inveniuntur ».



EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI  
*Archiepiscopus Ravennatensis*

Schema *de divina revelatione* asserit implicite in textu, tacendo, et explicite in notis, quaestionem sic dictam de duobus fontibus non esse maturam.

Bene est recolere quaestionem ad hoc esse reducendam: utrum fundamentaliter — et repeto fundamentaliter — omnes fidei veritates textatae sint in Sacra Scriptura? Traditionem esse et ipsam fontem revelationis est de fide ex Tridentino, sed — dico nunc ut hypothesis — ad explicandum, clarendum, sensu profundiore monstrando veritates fidei iam fundamentaliter contentas in Sacra Scriptura.

*Notas certe positivas*<sup>1</sup> habet nostrum schema relate ad schema quod intitulabatur « de duobus fontibus », et quia nomine tam polemico non utitur, et quia magis insistit in quaestione principali quae est ipsa revelatio in se, et quia admittit possibilitatem dicendi omnes veritates fidei contentas esse fundamentaliter in Sacra Scriptura.

Displicet tamen sentire et hanc quaestionem non esse maturam, eo amplius quod constatationes huius generis pluribus vicibus in hac aula factae sunt. Potest quis *quasi subridendo*<sup>2</sup> petere: utrum fere integrum officium conciliare est constatare immaturitatem quaestionum?

Verum est et in aliis conciliis hoc evenisse — e. g. de Conceptione Immaculata in Tridentino — sed meo iudicio critice explorata historia Conciliorum hoc evenit accidentaliter et circa quaestiones secundi ordinis, dico secundi ordinis, saltem in contextu quaestionum conciliarium. E contra in Tridentino quando quaestio de iustificatione — quaestio certe primi ordinis — agitata est, dum quidam asserebant iustificationem tantum internam, quidam, *ut Colonienses*,<sup>3</sup> et internam et externam, non est dictum « quaestio est immatura » sed in profundum studium quasi hic et nunc deventum est, unde habetur celebre decretum de unica iustificatione interna.

In nostro casu liceat mihi quaedam tantum dubia vel elementa studii indicare. *Textus praecisi sunt nuperrime hic citati. Refero tantum quaedam*.<sup>4</sup> Dogmata Mariana « Conceptio Immaculata et Assumptio corporea » videntur fundari in sola traditione, *repeto: videntur*,<sup>5</sup> sed pontificia documenta relativa asserunt, *asserunt*<sup>6</sup> fundamentum aliquod esse in Sacra Scriptura. Dogma de Canone *Scripturarum*<sup>7</sup> quod idem videtur fundari in sola traditione, videatur *studio profundiore*<sup>8</sup> in contextu *documentorum*<sup>9</sup> Concilii Tridentini quod ad hanc definitionem advenit,



an fundamentum aliquod habeat *et ipsum*<sup>10</sup> in Sacra Scriptura. Dogma de Baptismate puerorum — et ipsum apparenter fundatum in traditione sola — nonne potest erui traditione mediante — *et traditione bene intellecta*<sup>11</sup> — ex verbis Domini *simul compositis*<sup>12</sup>: « Baptizate omnes gentes » et « nisi quis renatus fuerit, etc. »?

Et *praesertim*<sup>13</sup> praecisa testimonia quae habentur circa dogmata ante controversiam protestantem nonne fundamentalem appellationem semper faciunt ad Sacram Scripturam, *vel ad sacras paginas*<sup>14</sup>? Et ipsa discussio tridentina quae mutavit textum fere *iam*<sup>15</sup> admissum « *partim et partim* »<sup>16</sup> in alterum definitivum « in Scriptura et in Traditione », nonne quaedam *dici potest*<sup>17</sup> pro nostra quaestione *absolvenda*<sup>18</sup>?

Quapropter mihi non videtur quaestionem in obiecto esse immaturam; videtur e contra posse dici sensu certe melius *et clarius*<sup>19</sup> declarando dogmata fundamentaliter textata esse in Sacra Scriptura.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> Notam certe positivam. <sup>2</sup> deest. <sup>3</sup> autem.  
<sup>4</sup> deest. <sup>5</sup> deest. <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> deest.  
<sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> deest. <sup>12</sup> deest. <sup>13</sup> deest. <sup>14</sup> deest. <sup>15</sup> deest.  
<sup>16</sup> « vel in Scriptura vel in traditione ». <sup>17</sup> dicit. <sup>18</sup> deest. <sup>19</sup> deest.

## 12

REV.MUS P. D. LUCIANUS RUBIO

Prior Generalis Ordinis Fratrum S. Augustini

Venerabiles Patres,

Cap. II schematis *de divina revelatione*, diligenti commissionis labore iuxta Patrum animadversiones emendatum et auctum, multa continet quae placent, quaeque laudanda et laeto animo suscipienda sunt. Unum tamen est quod animum movet nempe quod doctrina de maiore amplitudine traditionis relate ad s. Scripturam ibidem non proponatur. Argumenta contra istam omissionem a relatore minoritatis, ut aiunt, commissionis theologicae proposita sunt; ea repetere non vacat. Duo tamen, de vestra licentia, velim notare:

1. mihi videri istam omissionem in quadam aequivocatione revera inniti,

2. prostare exemplum in historia Ecclesiae, quod non immerito classicum dicere possumus, unde elucet gravissimas quaestiones dogmaticas aliquando non per S. Scripturam, quae nullum praebebat validum argumentum, sed per traditionem fuisse solutas.



*Quantum ad primum.* In animadversione quam Patres commissionis ad relationem de singulis numeris cap. II praemittunt, legimus commissionem noluisse dirimere quaestionem utrum quaedam veritates divinitus revelatae per traditionem transmittantur quae nullo modo contineantur in S. Scriptura utpote quae vexata sit inter theologos.

Porro cum haec dicuntur, duae quaestiones permiscetur vel permisceri videntur, quae contra apprime et apte distinguendae sunt. Alia enim quaestio est utrum per traditionem transmittantur quaedam veritates divinitus revelatae, quae nullo modo continentur in S. Scriptura, i. e. ibidem non contineantur ne quantum quidem ad fundamentum; alia vero quaestio valde diversa est utrum per traditionem quaedam veritates divinitus revelatae transmittantur, quae licet aliquod fundamentum in Scripturis sacris forte habeant, tamen ex Scripturis Sacris erui seu demonstrari non possint, ita ut innotescere dicendae sint non per Scripturam, sed per solam traditionem.

Iamvero prima quaestio est quidem dubitatione obnoxia et disputata ac, meo iudicio, a theologis libere et pacifice disputanda; non sic autem secunda. Secunda enim quaestio soluta est, si non a solemnibus Ecclesiae Magisterio (mitto nunc controversiam de interpretatione Concilii Tridentini et Vaticani I, de qua multa dixerunt periti), saltem a magisterio Ecclesiae ordinario, quod per plura saecula nos docuit non omnes veritates revelatas in S. Scriptura contineri, seu ita in ea inveniri ut inde erui et per eam innotescere non possint.

Ne quis autem putet distinctionem quam fecimus ad subtilitates pertinere scholasticorum; illud commemoravimus, quod graviter monet S. Augustinus dicens: « Liberis verbis utuntur philosophi... Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur impiam gignat opinionem ».

Sinamus igitur theologos, quorum tanta laus est in Ecclesia, disputare de iis quae nondum certa sunt, nec per magisterium Ecclesiae satis elucent, nempe de intimiore relatione inter traditionem et S. Scripturam, i. e. utrum omnes veritates quae per Traditionem transmittuntur aliquo modo quantum ad fundamentum etiam in S. Scriptura inveniantur. Illud autem quod per magisterium Ecclesiae iam certum est diuque propositum, ne a silentio praetereatur, sed in constitutione *de divina revelatione* recipiatur et confirmetur; sicque sua erit theologis libertas, et Concilium in re tam gravi, normam et regulam credendi omnibus exhibendo, finem pastorem et oecumenicum efficacius assequetur.

*Quantum ad secundum.* Exemplum de quo edicimus illud est quod obtulit S. Augustinus, cuius doctrinam referre inutile fortasse non erit. Nemo est qui ignoret Episcopum Hipponensem docuisse multa Eccle-



siam tenere quae in S. Litteris scripta non reperiuntur: sunt multa, inquit, quae universa tenet Ecclesia et ob hoc ab apostolis praecepta bene creduntur quamquam scripta non reperiantur. Inter haec multa S. Doctor sequentes enumerat Ecclesiae consuetudines: *a*) celebrandi festivitates liturgicas, ut Passionis Domini, Paschatis, etc.; *b*) baptizandi infantes; *c*) non admittendi ad altare seu ad communionem homines sine baptismo; *d*) non rebaptizandi eos qui extra Ecclesiam seu in haeresi baptizati fuerint.

Has consuetudines vim et significationem dogmaticam habere nemo negavit. Re quidem vera, S. Augustinus eas ut traditiones apostolicas habuit et inde argumentum ad dirimendas quaestiones dogmaticas deduxit; immo traditio non rebaptizandi eos qui extra Ecclesiam baptizati fuissent, unicum ei praebuit argumentum cum de validitate Baptismatis in haeresi sic collati disputaret; ipse enim palam fassus est quaestionem dirimi non posse ex S. Scriptura, ex qua nemo disputantium, nec donatistae, nec catholici poterant suam statuere seu demonstrare doctrinam. « In Novi Testamenti Libris nec a nobis nec a vobis — hic S. Doctor alloquens donatistas — rei huius invenitur exemplum, nec vos potestis proferre de Scripturis, quarum nobis communis est auctoritas, ab haereticis venientem denuo baptizatum, nec nos ita susceptum i. e. sine renovatione baptismatis ». Et concludit: « Quantum ad hanc rem attinet, pro nobis causa par est ». Sed causa quae catholicis et donatistis par erat relate ad S. Scripturam, par non erat relate ad traditionem; inde S. Augustinus invictum deducit argumentum ad dirimendam quaestionem contra illos: « Hoc, inquit, per universam catholicam quae toto orbe diffunditur observari placuit quod tenemus, i. e. quod non rebaptizentur hi qui extra Ecclesiam baptizati ad Ecclesiam convertuntur ».

*Conclusio.* Veritas de validitate baptismatis extra Ecclesiam collati, quae ipsam tangit essentiam doctrinae dogmaticae de sacramentis et fundamentum constituit nostrae cum fratribus separatis unionis ac proinde fundamentum hodierni oecumenismi, non argumentis scripturisticis sed argumento traditionis, olim illustrata et definita est. Hoc forte meminisse iuvabit dum de amplitudine traditionis relate ad S. Scripturam adsimus declaranda deque opportunitate eamdem doctrinam in nostro schemate inserendi. Dixi. Gratias.

---

*Textus scripto traditus:*

Silentium schematis circa traditionis amplitudinem, ut aiunt, materialem animum non parum conturbat. Non enim intelligitur quomodo doctrina a magnis theologis diu tradita atque defensa tamquam Ecclesiae doctrina, a synodis pro-



vincialibus non semel inculcata, in catechismis ad docendos populos ab episcopis probatis passim contenta possit a Concilio silentio praeteriri quin grave ordinarium Ecclesiae magisterium damnum patiatur.

In animadversione praevia ad relationes de singulis numeris cap. II (pag. 19) legimus commissionem noluisse quaestionem, *utpote vexatam*, dirimere, utrum quaedam veritates divinitus revelatae per Traditionem transmittantur, quae nullo modo contineantur in S. Scriptura.

Porro, cum dicitur: *nullo modo* duae quaestiones permiscetur, quae contra apprime et aptae distinguendae sunt. Alia est utrum sint veritates divinitus revelatae, quae nullo modo contineantur in S. Scriptura, ne quantum quidem ad fundamentum; alia vero utrum sint veritates revelatae, quae, licet aliquod forte in Scripturis sacris habeant fundamentum, tamen ex illis erui seu demonstrari non possint, ita ut non per Scripturam sed per solam traditionem innotescere dicendae sint.

Iam vero, prima quaestio est dubitationi obnoxia et disputata ac, iudicio oratoris, theologorum disputationi relinquenda; non autem secunda. Secunda enim quaestio soluta est per Ecclesiae magisterium, quod per plura saecula docuit et expresse docet non omnes veritates revelatas in sacra contineri Scriptura.

Ne autem distinctionem quam fecimus tamquam scholasticorum subtilitatem habeamus graviter monet S. Augustinus dicens: Liberis verbis utuntur philosophi... Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur impiam gignat opinionem ».

Postulat igitur humiliter, sed instanter orator ut, facta theologis facultate profundius indagandi in intimiorem relationem Traditionem inter et S. Scripturam, utrum nempe omnes veritates quae per Traditionem transmittuntur aliquo modo seu quantum ad fundamentum in S. Scriptura continentur, illud in textu conciliari ad n. 8 cap. II schematis recipiatur quod ordinario Ecclesiae magisterio docente tenendum est, nempe non omnes veritates revelatas ita in Scriptura contineri ut per eas innotescant Ecclesiae.

Formula ad n. 8, lin. 22 adicienda haec aliave similis esse poterit: Per eandem traditionem per quam nonnullae etiam veritates revelatae transmittuntur, quae non ita in S. Scriptura continentur ut ex illa erui seu demonstrari possint, et ipsae Sacrae Litterae etc.

## 13

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER

*Praeses Congregationis Angliae O.S.B.*

*Venerabiles Patres,*

Ego eram ex iis qui petierunt ius loqui antequam divideretur disceptatio de hoc schemate in tres partes. Ideo si quid iam breviter de cap. II dicam, spero quod licebit mihi amplius aliquid dicere subsequenti die de cap. V.



In cap. II videtur mihi quod in nn. 8 et 9 verbum traditio duobus sensibus applicatur; in prima enim paragrapho videtur divina traditio includere S. Scripturam cum aliis quae a Christo per apostolos nobis traduntur: tota vita Ecclesiae, inclusa Scriptura, est in hac traditione; sed in sequenti paragrapho relationes inter s. traditionem et S. Scripturam enuntiantur et hic s. traditio videtur contradistingui contra S. Scripturam. Ideo, claritatis causa, suggerere velim quod hoc notetur in ipso textu, verbis e. g.: « S. Traditio in quantum a S. Scriptura distinguitur etc. ... » (in n. 9).

Et iam possim aliquid animadvertere super disceptatione hodierna.

Primum, commissio doctrinalis non dubitavit de veritate eorum quae a S. Tridentino Concilio definita sunt super traditione, et ego non video causam qua definitio tridentina non repetenda esset in nostro schemate; hoc est omnino secundarium pro me.

Sed quod ad magisterium ordinarium subsequens, post Concilium Tridentinum, videtur mihi notari quod magisterium ordinarium non definit; hoc est characteristicum magisterii ordinarii comparati cum extraordinario; magisterium extraordinarium definit, magisterium ordinarium non definit et ideo praesertim de magisterio ordinario debemus distinguere inter verba quibus usum sit et intentionem verborum illorum.

Et pro me omnino clarum est quod magisterium ordinarium voluit affirmare quod illa, quae Ecclesia tamquam divinitus tradita docet, vera sunt. Quaestio utrum hae veritates etiam in Scriptura inveniantur, erat secundaria quaestio. Et ratio cur saepe in catechismis, e. g., dicitur quod traditio habet aliqua quae non sunt in Scriptura erat quod in illis saeculis non habebatur exegesis dinamica S. Scripturae, exegesis erat statica et prope materialis; solum in hoc saeculo, his centum annis, venimus ad exegesim dynamicam quae potest multa valide et vere invenire in Scriptura, quae antea videbantur abesse a Scriptura. Et ideo intentio magisterii ordinarii non erat formaliter dicere quod Scriptura deficiens est, sed quod Scriptura tamquam ab illis intellecta et ab illis necessario intelligenda erat, erat deficiens.

In conclusione vellem hoc dicere: videtur mihi quod res plane non est matura ad decernendum. Et una ratio apparet mihi: plane ex hac disceptatione apparet quod ii qui adversantur positioni quae a Newman, e. g., defendebatur de sufficientia aliquali Scripturae dum a traditione interpretatur, haec positio tam male intellecta sit a ponentibus huius theologiae. Haec est demonstratio mihi quod res non est matura, et ideo laudo commissionem quia de determinanda hac re nihil fecit. Gratias.



EXC.MUS P. D. RAPHAËL CALABRÍA  
*Archiepiscopus Beneventanus*

*Venerabiles Patres,*

Sermo meus attingit quae in n. 8 cap. II exponuntur.

In citato numero fit descriptio traditionis, character dynamicus ipsius in evidentia ponitur, progressus activa elementa assignantur et vivificae praesentiae traditionis testimonia certa enumerantur.

Omnia effuso et quasi poetico sermone exponuntur; non tamen, ut mihi videtur, plena theologica sollertia.

Ad singula. Recte dynamismus traditionis in luce affertur. Recte progressus ille vitalis in solo progressu intelligentiae reponitur tam rerum quam verborum traditorum. Recte assistentia Spiritus Sancti causa prima et essentialis progressus illius vitalis in immutata et immutabili doctrina assignatur.

Non tamen mihi videtur recta ipsa traditionis notio; non completa enumeratio agentium humanorum progressum determinantium sub influxu Spiritus Sancti, nec felix ipsorum descriptio.

Ab ultimo incipio:

1. *Plene convenio cum iis quae dicta sunt ab em.mis cardd. Ruffini et Browne quoad illam intimam experientiam. Dicatur saltem in textu*<sup>1</sup>: « ... ex intima... experientia in deposito fidei fundata, et in habitibus supernaturalibus et in donis Spiritus Sancti ».

2. *Non completa enumeratio elementorum activorum determinantium progressum*.<sup>2</sup>

Schema dum ineffabilem doctrinae divinae fermentationem describit, alte silet de magisterio Ecclesiae.

Scio in n. 10 nervose affirmari: « Munus autem Verbum Dei scriptum vel traditum authentice interpretandi soli vivo et infallibili Ecclesiae magisterio concreditum est ». Sed res ita disposita nonne videtur magisterio unice assignare munus revocandi ad trutinam et placita doctorum et pios sensus sanctorum? Dum veri magistri longius patet officium: discipulos nempe iuvare, illos dirigere, et quasi manu ducere.

Quod in humana schola necessarium, non superfluum redditur in superiori illa schola quae Ecclesia est, nequidem ab assistentia Spiritus Sancti discipulis utique large concessa. Recolantur quae in cap. III sche-

matis *de Ecclesia* iure affirmata sunt de magisterio episcoporum. Recolamus quoties in nostris his ipsis conciliaribus disceptationibus appellare audivimus, et quidem *iure et*<sup>3</sup> laudabiliter, ad quotidianum ordinarium magisterium Pontificis nostri Pauli VI.

Ideo mihi videntur complenda quae dicta sunt in descriptione progressus ita vel simili modo: « tum ex contemplatione credentium... tum ex experientia *etc.*<sup>4</sup>..., *sub materno ductu hierarchiae* ».

Et quae postea in lin. 17 de Ecclesia in genere, per accommodationem, dicuntur, de hierarchia dicerem. Vitaretur ita aliud incommodum: non videremur Ecclesiam exhibere tamquam superentitatem impersonalem et abstractam. Verbo: meo submisso iudicio, quae a linn. 14-19 habentur sic immutari possent: « Crescit *etc.*<sup>5</sup> tum ex intima spiritualium rerum experientia in ipso deposito fidei fundata et a Spiritu Sancto nutrita, sub materno ductu hierarchiae, quae, volventibus saeculis, mulierem illam imitatur *etc.* ».

Ita et munus magisterii plenius describeretur et simul in evidentia poneretur materna ipsius sollicitudo necnon et fiducia in filios aman-tissimos.

3. *Ad ultimum: notio traditionis non mihi videtur recta.*<sup>6</sup> In textu legimus: « Itaque praedicatio apostolica, quae in inspiratis libris speciali modo exprimitur... »<sup>7</sup>. Verba ambigua, selecta, ut legimus in relatione textui adnexa, ad vitandam vexatam quaestionem de sufficientia materiali Scripturae...<sup>8</sup>.

Attamen, in pag. 21...<sup>9</sup> ab eadem relatione dicitur quod sententia de sufficientia materiali Scripturae non excluditur...<sup>10</sup>.

Hoc vero cum mente Concilii Tridentini componi nequit nisi intendatur hoc sensu: in Scriptura semper invenitur indicatio vel suggestio vel analogia vel nexus quidam pro omni veritate revelata. Aperte enim Concilium Tridentinum...<sup>11</sup> exclusit effatum Protestantium: « Hoc non est in Scriptura, ergo non est verum »...<sup>12</sup>.

Igitur in lin. 8 n. 8 post verba « quod vero ab apostolis traditum est » *addi posset*<sup>13</sup>: « et quod in Scripturis solis totum sufficienter non invenitur »...<sup>14</sup>.

Et puto in hoc nullam *esse quaestionem*.<sup>15</sup> Unus ex praecipuis theologis qui citantur, quasi teneat totam revelationem Christi esse scriptam in Novo Testamento, recentissime scripsit: « Exsistentia traditionum apostolicarum non scriptarum est factum certum ». Et idem docet, *in suo opere* « *La Tradition et la vie de l'Eglise* », <sup>16</sup> traditiones illas *non esse in Scripturis*<sup>17</sup> in sensu quo protestantes volunt « Scriptura sola », sed alio sensu, qui non opponitur thesi secundum quam sunt veritates quae-



dam in doctrina Ecclesiae, quae ut tales non inveniuntur in Scriptura, quarum prima esset Canon ...<sup>18</sup>. Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> Elementa activa progressus ista assignantur: contemplatio credentium et intima spiritualium rerum experientia, linn. 15-16. His verbis certe innuuntur speculatio theologica et communis sensus fidelium vel sensus christianus qui dicitur. Iamvero, si primum, speculatio nempe theologica, contemplatio credentium sine aequivocatione dici potest, non item affirmare licet de secundo. Scimus enim expressionem « intima experientia » non semper orthodoxa significatione sumptam fuisse, pro sensu nempe, non caeco, sed in deposito fidei fundato et habitibus supernaturalibus fidei et caritatis necnon et donis Spiritus Sancti nutrito; per quae fidelis, ad vitam divinam elevatus, gaudet connaturalitate quadam cum veritatibus revelatis et aptus redditur ad eas quasi instinctive percipiendas, priusquam rationes demonstrativae plene cognoscantur. Dicatur igitur saltem. <sup>2</sup> Sed nec completa enumeratio. <sup>3</sup> deest. <sup>4</sup> deest. <sup>5</sup> enim tam rerum quam verborum traditorum intelligentia, tum ex contemplatione credentium... <sup>6</sup> Sed adhuc: notio traditionis non recta. <sup>7</sup> n. 8 lin. 1. <sup>8</sup> cf. pag. 19 in medio folii et pag. 21 sub B). <sup>9</sup> sub D). <sup>10</sup> in textu. <sup>11</sup> in decreto sess. IV et in explicita declaratione praesidium. <sup>12</sup> (cf. Ehes, *Acta X*, 378). <sup>13</sup> addatur. <sup>14</sup> Simul corrigatur relatio in pag. 21. <sup>15</sup> vexatam quaestionem adesse, immo, nec quaestionem. Sane. <sup>16</sup> deest. <sup>17</sup> esse in Scripturis non. <sup>18</sup> (CONGAR, *La tradition et la vie de l'Eglise*, Paris 1963, pag. 32, pag. 82 et alibi).

## 15

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY

*Archiepiscopus Remensis*

*Venerabiles Patres,*

Schema *de divina revelatione* placet. Indicare vellem defectum quemdam in n. 8 schematis nostri ubi agitur, a lin. 13, de incremento traditionis vivae in Ecclesia. Puto quod hic defectus, primo visu mere doctrinalis, magnas consequentias habet sub respectu missionis Ecclesiae.

1. Recte affirmatur reale incrementum traditionis in Ecclesia. « Viva traditio in Ecclesia sub assistentia Spiritus Sancti proficit », dicit textus noster in linn. 13-14.

Attamen, quando postea indicantur fontes huius incrementi, scil. « credentium contemplatio » (lin. 15) et « intima spiritualium rerum experientia » (lin. 16), praevalet sensus quod incrementum traditionis vivae in Ecclesia fit *sine ulla connexione cum eventibus historiae mundi vel cum diversitate culturarum* ubi Ecclesia plantatur decursu saeculorum.

Quod, revera, falsum videtur. Sufficit considerare historiam Eccle-



siae ut manifestetur *diversitas* eiusdem vivae traditionis in Oriente et in Occidente. Et possumus sperare quod, in posterum, haec diversitas eiusdem traditionis magis ac magis apparebit quando Ecclesia vere accommodata erit populis e regionibus variis Asiae vel Africae.

2. Defectus quem sublineamus nobis videtur promanare ex eo quod in nostro schemate non eodem modo loquitur de traditione ac de revelatione, relate ad historiam salutis.

Breviter expono in quonam sensu. a) N. 2 nostri schematis recte affirmat revelationis oeconomiam fieri « gestis verbisque intrinsece inter se connexis » ...<sup>1</sup>. E textu nostro bene apparet quod gesta vel opera, in historia salutis a Deo patrata, maximum momentum habent ut « doctrinam... manifestent et corroborent » ...<sup>2</sup>.

A. v., *Deus homines alloquitur intra eventus historiae Israel*, et scimus quod haec locutio Dei non adimpletur nisi in persona et vita Iesu Christi. « Homo ad homines missus » ...<sup>3</sup>, Iesus Christus « opus salutare consummat » ...<sup>4</sup>, et, ita, « verbis et operibus » ...<sup>5</sup>, praesertim morte sua et gloriosa resurrectione ...<sup>6</sup>, « revelationem complendo perficit » ...<sup>7</sup>.

b) Evangelium salutis in Christo, quod est revelationis plenitudo, usque ad consummationem temporum conservari debet in *Ecclesia*, i. e. in Corpore Christi, ut integre et sine ulla corruptione transmittetur hominibus omnibus atque populis ubique terrarum.

Volventibus saeculis, ut bene dicit noster n. 8, « Deus qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui Sponsa colloquitur » ...<sup>8</sup>. Per Ecclesiam, Spiritus Sanctus qui agit in intima corde omnium hominum, vivam vocem Evangelii « in mundo resonare facit » ...<sup>9</sup>, credentes in omnem veritatem inducens verbumque Christi in eis inhabitare faciens ...<sup>10</sup>.

Illa omnia, valde bona, male comprehendere possunt si non clarius affirmatur quod, post mortem apostolorum, *historia salutis proprie dicta perseverat decursu saeculorum*. Deus pergit homines alloqui intra eventus vitae individualis ac socialis, intra historiam hominum atque populorum. Et haec locutio Dei intra historiam a sola Ecclesia potest manifestari atque interpretari, quia in Ecclesia sola resonat viva vox Evangelii, semper eadem et semper nova, propter resurrectionem Domini Nostri Iesu Christi.

*Conclusio.* Rogo ut n. 8 schematis nostri partim recognoscatur ita ut cum maxima amplitudine appareat connexio traditionis vivae in Ecclesia cum historia salutis semper hodierna, praesertim autem ubi indicantur fontes incrementi huius traditionis.

Notandum est, denique, quod schema *de Ecclesia in mundo huius*



*temporis*, et quaestio de signis temporum de qua illuc agitur, non bene fundaretur, si in nostro schemate connexio supradicta inter traditionem vivam et historiam salutis non manifestatur. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (pag. 6, linn. 4-5). <sup>2</sup> (pag. 6, linn. 6-7).  
<sup>3</sup> (pag. 6, linn. 39-40). <sup>4</sup> (pag. 7, lin. 1). <sup>5</sup> (pag. 7, lin. 3). <sup>6</sup> (cf. pag. 7, linn. 4-5). <sup>7</sup> (pag. 7, linn. 6-7). <sup>8</sup> (pag. 16, linn. 24-25).  
<sup>9</sup> (pag. 16, lin. 26). <sup>10</sup> (cf. pag. 16, linn. 26-28).

*Moderator:* Loquatur exc.mus D. Georgius Flahiff, qui est ultimus orator in disceptatione circa capp. I et II schematis *de divina revelatione*.

## 16

EXC.MUS P. D. GEORGIUS BERNARDUS FLAHIFF  
*Archiepiscopus Vinnipegensis*

*Venerabiles Patres,*

Volebam animadversionem facere circa notionem traditionis, de qua agitur in cap. II schematis *de revelatione*, et praesertim de tendentia in n. 8 eiusdem capituli identificandi divinam traditionem cum tota vita Ecclesiae, scil. cum omnibus quae in Ecclesia docentur et traduntur.

Attamen em.mi et rev.mi DD. cardd. Meyer, Léger et Landázuri Ricketts ac aliqui alii Patres hac de materia iam bene et satis in aula dixerunt. Liceat mihi igitur renuntiare. Gratias.

---

*Textus scripto traditus:*

Schema *de Revelatione* in genere mihi placet. Sed liceat mihi animadversionem facere circa notionem traditionis, de qua agitur in cap. II.

Quamvis ea quae in cap. II dicuntur de divina traditione procul dubio profunda et bene elaborata sint, attamen, ut mihi videtur, tendentia ibi habetur identificandi istam divinam Traditionem cum tota vita Ecclesiae, scil. cum omnibus quae in Ecclesia docentur et traduntur. Textus cap. II, speciatim in n. 8, insinuat istam traditionem continuo in Ecclesia proficere et crescere, et quidem per profundiolem intelligentiam revelationis atque experientiam spiritualem fidelium. Hoc omnino verum est.

Sed, mea opinione, his statutis, nondum bene descripta sunt ea, quae traditionem in vita Ecclesiae vere et realiter concernunt. Habentur tempora, cum aliquae veritates, quamvis in Scriptura et traditione contentae, non clare in vita Ecclesiae intelliguntur et assimilantur. Habentur etiam tempora quando aliquae doctrinae et praxes, quamvis non ad divinam traditionem pertinentes, partem vitalem habent in Ecclesia. Dum firmiter credimus divinam traditionem secun-



dum eius substantiam semper, virtute Spiritus Sancti, in Ecclesia conservari, nullam habemus rationem putandi istum dynamismum, cui traditio in vita Ecclesiae subest, in semper progressiva linea evolvi.

Ad hoc illustrandum, do exemplum. Fuerunt tempora, quando doctrina de praesentia Dei in verbo eius, de qua in constitutione *de Liturgia* tractatur, non conscie et plene in vita Ecclesiae agnoscebatur. Libri theologici de ea silebant, documenta ecclesiastica de ea non mentionem faciebant, et quia ipsa liturgia latine celebrabatur, populus ea doctrina experiri non poterat. Haec doctrina tamen firmiter in Scriptura et traditione fundatur.

Nonne idem dicendum est de aliis quibusdam doctrinis, quae in hoc Concilio docentur? Hae in Scriptura et traditione continentur, sed per plura saecula non evidenter et authentice partes erant in conscientia Ecclesiae. Possumus enumerare doctrinas sicuti sacerdotium universale, collegialitas episcoporum, libertas hominum in re religiosa, et cetera.

Ex alia parte, difficile non esset ostendere tempora, quando quaedam doctrinae et praxes, quae omnino traditionales habebantur, tamen ad divinam traditionem vere non pertinebant, ideoque postea ex vita ecclesiastica iure evanuerunt. Eiusmodi enumerari possunt sive ex historia, sive ex nostro tempore. Nosmetipsos in seminariis nostris doctrinas et praxes tenebamus simul cum nostris professoribus putantes eas esse traditionales et immutabiles, de quibus autem postea compertum est eas non esse nisi transitorias ecclesiasticas consuetudines.

Consequitur inde nos attentos esse debere, ne nimis simpliciter divinam apostolicam traditionem aequiparemus cum actuali vita Ecclesiae in singulis aetatibus.

Consequitur etiam officium esse fidelium sed maxime episcoporum, continuo examinare vitam, doctrinam et devotionem Ecclesiae, eamque diiudicare in luce Scripturae et traditionis definitae. Tenetur igitur populus Dei sedulo discernere id quod vere authenticum christianum est in totalitate opinionum, doctrinarum, praxium et devotionum, quae in vita Ecclesiae inveniuntur.

Adsunt ergo duae principia dinamica in actu circa divinam traditionem in Ecclesia: alterum eam amplificans et propalans, alterum limitans eam atque purificans. Textus cap. II de uno tantum loquitur. Sed alterum non minus grave est. Propono, ut statuatur in numero octavo divinam traditionem non simpliciter identicam esse cum vita Ecclesiae, sed Ecclesia debere continuo discernere quanam sunt authentica traditionis elementa.

In n. 10, unitas et cohaerentia ostenditur Scripturae, traditionis et magisterii. Sed haec intelligi non debet tamquam statica cohaerentia. Revera ea enascitur in continuo processu dinamico, non sine tensionibus et difficultatibus. Obtinetur a populo, sed praecipue a magisterio, examinando vitam doctrinalem et devotionalem Ecclesiae in luce Evangelii ad distinguendam authenticam divinam traditionem. Perutile esset hoc munus magisterii in penetranda traditione, ope Scripturae, indicare in n. 10, cap. II.

*Secretarius generalis.* Faveant Patres ad suas sedes redire, quia imminet hora duodecima.

*Moderator:* Leget relationem de cap. III schematis *de divina revelatione* exc.mus D. Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.



EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD  
*Episcopus Harlemensis*

RELATIO

SUPER CAPITA III-VI SCHEMATIS CONSTITUTIONIS  
« DE DIVINA REVELATIONE »

*Venerabiles Patres,*

Disceptatione duorum priorum capitum schematis nostri « De Divina Revelatione » expleta, Vobis nunc quattuor capita tractantia *de Sacra Scriptura* proponuntur. Uti vidistis in pag. 63 huius schematis textus emendatus, sicut nunc prostat, secundum desiderata Patrum elaboratus est a submissione speciali Commissionis Doctrinalis, cuius membra et periti in pag. 63-64 enumerantur. Revisio ultima, quae hic proponitur, ab ipsa Commissione Doctrinali absoluta est in quatuor sessionibus diebus 3-5 iunii habitis.

Cum in disceptationibus anterioribus magnum pondus attentionis nostrae quaestioni cardinali de « duobus fontibus » seu « de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem » datum fuit, nunc oculos nostros mentesque nostras ad *ipsam* Sacram Paginam vertere oportet, ipsamque secundum scopum Concilii nostri contemplemur non tantum sub aspectu doctrinali, sed — uti erat in votis Patrum — etiam et quidem speciali modo sub aspectu pastoralis. Neminem enim nostris diebus latet quanti momenti sit Sacra Scriptura in vita Ecclesiae. Etsi Ecclesia Sacram Scripturam semper in honore habuit, uti e. g. ex libris liturgicis patet, tamen lectio privata S. Scripturae obsolevit, praesertim apud fideles laicos, dum nos omnes cum S. Hieronymo convenimus in hoc, quod « ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est » (Comm. in Is., Prol.: PL 24, 17). Adhortationibus laboribusque tam in campo scientifico quam in pastoralis ultimorum Romanorum Pontificum necnon « motu liturgico » a Sancto Pio X inaugurato hodie denuo Sacra Pagina in medio vitae Ecclesiae locum suum implere incipit, attamen adhuc multum faciendum est, quia desiderium omnium nostrum est, ut de unoquoque membro populi Dei dici possit, quod idem S. Hieronymus aliquando in epistola de sacerdote quodam iuvenili aetate morte erepto scripsit: « lectione assidua et meditatione diuturna pectus suum fecerat bibliothecam Christi » (Ep. ad Nepotianum...). Secundum hoc desiderium quattuor capita de Sacra Scriptura nostri schematis emandata sunt, ita tamen ut scopus pastoralis doctrina sana ac clara fulciretur. Doctores exegetae incitantur, ut ab una parte eorum labore « quasi praeparato studio iudi-

cium Ecclesiae maturetur » (pag. 28, linn. 24-28), dum ab altera parte « quam plurimi divini administri Scripturarum pabulum plebi Dei fructuose suppeditent, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat » (pag. 44, linn. 28-33). Theologi et ministri verbi divini excitantur, ut tam in praelectionibus quam in praedicatione verbum divinum sit anima theologiae, catecheseos et praedicationis pastoralis. Denique, omnes christifideles invitantur, ut « libenter ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia, quae approbante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur » (pag. 45, linn. 33-39).

Inutile videtur in relatione nostra repetere considerationes quas vos omnes in fasciculo typis impresso legere potuistis. Econtra hic et nunc in aula conciliari utile mihi videtur synthetice proponere materiam in unoquoque capite expositam, praesertim indicando structuram singulorum capitum, indicandoque etiam partes novas emendationesque omnino principaliores.

Caput III: *De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione*. – Structura huius capituli eadem remansit ac in textu priori: in n. 11 statuitur factum inspirationis et inerrantiae S. Scripturae; n. 12 de modo quo S. Scriptura sit interpretanda agitur; ac n. 13 de Dei condescensione fit sermo. – Etsi primo visu pauca emendata videntur, tamen textus multa cum sollicitudine et prudentia emendatus est, uti videri potest ex relationibus de singulis numeris. E. g. in n. 11, lin. 2 « Divina Revelatio » mutatum est in « Divinitus revelata », ne dirimatur quaestio disputata de habitudine inter S. Scripturam et Traditionem. – Secundum quaesita Patrum inserti sunt aliqui textus ex Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu* assumpti: enumerantur varia « genera literaria », non exhaustive tamen, ne ianua claudi videatur: ideo n. 12, linn. 3-4 additur « vel aliis dicendi generibus ». – In fine n. 12, lin. 21 additus est textus « de labore exegetarum », qui textus ex schemate priori n. 19 sumptus est, ubi aliquomodo extra locum erat, quia normae ibi datae pro tota S. Scriptura valent et non pro Evangeliiis tantum.

Caput IV: *De Vetere Testamento*. – Textus prior secundum desiderata Patrum ita emendatus est, ut magis in luce poneretur in Vetere Testamento non tantummodo agi de « Historia populi electi in libris inspiratis enarrata », uti titulus prior dicebat, sed de « Historia salutis in libris Veteris Testamenti *consignata* ». Sic clarius patet momentum Veteris Testamenti pro omnibus saeculis, dum etiam ex alia formulatione in n. 14, linn. 18-24 apparet momentum perenne Veteris Testamenti non fundari in *argumento seu contento librorum sacrorum*, sed in *inspiratione* eorum.



dem. — Consequenter titulus n. 15 mutatus est, quia non tam de « *Indole Foederis Veteris eiusque librorum* » agendum erat, quam de « *Momento Veteris Testamenti pro christifidelibus* ». — In fine huius numeri secundum Litt. Enc. *Mit brennender Sorge* momentum Veteris Testamenti affirmatur, dum etiam ad momentum provisorium Veteris Testamenti fit allusio.

Caput V: *De Novo Testamento*. — Titulus huius capituli, qui pluribus Patribus displicebat, quia textus fere exclusive de « *Evangeliiis* » loquebatur, idem remansit, quia numerus novus sc. 17 additus est, in quo tota materia Novi Testamenti modo generali praesentatur ac doctrina ex omnibus scriptis Novi Testamenti reassumpta est. Deinde in n. 18 et n. 19 tractatur in specie de Evangeliiis, et in n. 20 de caeteris scriptis Novi Testamenti. — Magni momenti sunt quae in n. 19 de « *Evangeliorum indole historica* » dicuntur. Textus novus, praeparatus a subcommissione nostra mense aprilis 1964 nunc de facto consonat cum instructione « *Sancta Mater Ecclesia* » Commissionis de Studiis Bibli- cis diei 14 maii 1964. — Ea vero, quae in textu priori sub numero olim 19 de Exegesi catholica dicebantur, iam sub novo numero 12 dicta sunt.

Caput VI: *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae*. — Caput istud tam in titulo quam in textu mutatus est, ope etiam schematis « *de Verbo Dei* » ante primam sessionem Concilii a « *Secretariatu ad unitatem christianorum fovendam* » exarati. Maiori cum reverentia non iam de « *usu* » Sacrae Scripturae loquitur textus, sed « *De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae* ».

N. 21 de veneratione Ecclesiae erga Sacram Scripturam tractatur.

In n. 22 accuratae versiones commendantur. Speciatim autem optatur, ut « *exarentur versiones in varias linguas in liturgia atque catechesi necnon in pia lectione adhibendae* », confectae — si possibile — « *communi etiam cum fratribus separatis nisu* » (linn. 12-18). Novus textus inter alia characterem pastorem et oecumenicum manifestat.

N. 23 officium apostolicum doctorum catholicorum inculcat. Patres velint attendere ad linn. 25 ss., ubi de cooperatione exegetarum et eorum, qui theologiae dogmaticae et morali incumbunt, agitur. Haec enim cooperatio nostris diebus valde promovenda est et fructus huius cooperationis iam clare in multis studiis manifesti fiunt. — In fine huius numeri secundum postulationem plurium Patrum aliqua verba laudis pro munere exegetarum addita sunt: exegetae excitantur, « *ut opus feliciter susceptum omni studio exsequi pergant* » (linn. 37-38). Ideo cum fiducia pergant, ut « *iudicium Ecclesiae* » eorum laborioso studio « *maturetur* », sicut in n. 12 iam dicebatur.

N. 24 momentum S. Scripturae pro theologia explanatur. Hic non



tantum de theologia in sensu stricto sermo est, sed etiam de ministerio verbi, de catechesi ac de homilia liturgica. In his omnibus « Sacrae Paginae studium sit velut anima ».

Tandem lectio Sacrae Scripturae *omnibus* christifidelibus commendatur, atque ut illam melius et cum maiori fructu intelligant, ad « usum institutionum et subsidiorum illorum » incitantur, « quae approbante et curante Ecclesia ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur ».

Post hunc conspectum operis, venerabiles Patres, quod commissio doctrinalis magno cum labore et amore secundum desiderata vestra emendavit, et nunc disceptationibus et suffragiis vestris proponit, tantummodo mihi restat ut omnibus collaboratoribus, membris commissionis ac peritis gratias agam spemque pronuntiem, ut communi labore nostri Concilii verba, quae apud Isaiam inveniuntur, impleantur: « Et quomodo descendit imber et nix de caelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare facit eam, et dat semen serenti et panem comedenti; sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque volui et prosperabitur in his ad quae misi illud » (*Is. 55, 11-12*).

*Moderator:* Gratias agimus exc.mo relatori et etiam commissioni pro opere bene confecto. Nunc loquitur exc.mus D. secretarius generalis.

*Secretarius generalis:* Cum transacta sit hora 12, possumus procedere ad suffragationem circa modum suffragandi schema decreti *de Oecumenismo*.

De modo suffragandi schema decreti *de Oecumenismo*:

- 1<sup>a</sup> suffragatio pro n. 1.
- 2<sup>a</sup> suffragatio pro n. 2.
- 3<sup>a</sup> suffragatio pro n. 3.
- 4<sup>a</sup> suffragatio pro n. 4.
- 5<sup>a</sup> suffragatio de integro capite cum Prooemio (nn. 1-4).
- 6<sup>a</sup> suffragatio pro nn. 5-6.
- 7<sup>a</sup> suffragatio pro n. 7.
- 8<sup>a</sup> suffragatio pro n. 8.
- 9<sup>a</sup> suffragatio pro nn. 9-12.
- 10<sup>a</sup> suffragatio de integro capite (nn. 5-12).
- 11<sup>a</sup> suffragatio pro n. 13.
- 12<sup>a</sup> suffragatio pro nn. 14-18.
- 13<sup>a</sup> suffragatio pro nn. 19-24.
- 14<sup>a</sup> suffragatio de integro capite tertio.

*N. B.:* Suffragationes fient per *placet, non placet, placet iuxta mo-*



*dum* cum caput integrum suffragandum erit. Pro suffragandis numeris vel partibus capitum suffragatio fiet tantum per *placet* vel *non placet*.

Uti patet, obiectum suffragationis non est tantum distinctio in numeros vel numerum suffragationum sed etiam modus suffragandi. Igitur illud *Nota bene* ingreditur substantiam ipsius suffragationis. Illi Patres qui dicunt *placet*, surgendo, approbant non solum divisionem factam, sed etiam modum suffragandi, per *placet*, *non placet*, *placet iuxta modum*.

Ergo: sunt dispositi in aula assignatores locorum? Cum ego non habeam perspicilla tubulata ad longius videndum — binocolo —, videbunt assignatores locorum et mihi referent. Imprimis quaeram utrum placeat et ii quibus placebit surgent, et stabunt... [cum iam aliqui Patres surgerent] Non, non! Parumper! ... et stabunt aliquantisper, ita ut videatur numerus suffragantium. Postea contrarium faciemus ad probandum: illi quibus placet sedebunt et surgent alii.

Ergo quaero a vobis, venerabiles Patres: placetne vobis modus suffragandi schema decreti *de Oecumenismo* qui initio Congregationis generalis huius propositus est? — Illi quibus placet surgant, et videant assignatores locorum.

[*Intervallum - Fere omnes Patres surgunt*].

Videtur nullum dubium esse quin maioritas habita sit. Nunc, postquam sederitis, probationem faciemus: illi quibus placet maneat sedentes, alii surgant!

[*Intervallum - Perpauci Patres surgunt*].

Ergo... sunt rari nantes..., sed non natant, nonne? Ergo modus approbatus est.

Et feria II proxima procedetur ad suffragationem, hoc modo: feria II, fiet quattuor primae suffragationes. Deinde feria III, sexta die octobris, fiet suffragatio de integro cap. I cum Prooemio, nempe a n. 1 ad n. 4; et deinde quattuor suffragationes respicientes cap. II; quapropter feria III erunt quinque suffragationes in summa. Feria IV, nempe die 7 octobris, habebitur decima suffragatio, de integro cap. II, a nn. 5-12; et prosequemur cum tribus suffragationibus sequentibus usque ad suffragationem 13. Die autem 8 octobris, nempe feria V, habebitur ultima suffragatio, scil. de integro cap. III. Ut vidistis, Patres venerabiles, suffragatio super integrum caput fit die sequenti, ita ut modi possint apte praeparari.

En igitur calendarium suffragationum faciendarum quae incipient proxima feria II. Gratias!

*Moderator*: Nunc incipiet disceptatio de cap. III nostri schematis.



## 17

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI  
*Archiepiscopus Panormitanus*

*Venerabiles Patres,*

In pag. 27, num. 11, linn. 6-10, legimus: « Libros enim Veteris et Novi Testamenti Sancta Mater Ecclesia *ex apostolica fide* ...<sup>1</sup> pro sacris et canonicis habet, propterea quod, Spiritu Sancto inspirante conscripti, Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt ».

Haec verba, ex cap. II constitutionis dogmaticae *De fide catholica* Concilii Vaticani deprompta, digne vere sunt quae in nostro schemate repetantur; sed ut sententia, iisdem verbis expressa, perfecta atque plena sit, nec non ab omni ambiguitate removeatur, oportet post dictionem: « Libros enim tam Veteris quam Novi Testamenti » continuo adiciatur: « *integros cum omnibus suis partibus, prout in Tridentini Concilii Decreto* (de canonicis scripturis) *recensentur* ». Quod additamentum eo magis necessarium esse censeo quia testimonia biblica in textu allata minime probant *omnes libros* Veteris et Novi Testamenti haberi ab Ecclesia pro sacris et canonicis *ex apostolica fide*.

Nam S. Ioannes loco laudato loquitur tantum de suo Evangelio, accuratius dicam, de cunctis Evangelii sui capitibus excepto capite XXI; in 2 Petri fit mentio tantum epistularum S. Pauli — nescimus autem num Petrus prae oculis habuerit omnes Pauli epistulas —; porro apostolus in 2 Tim. pretiosum quidem testimonium de Sacrae Scripturae inspiratione praebet, at non declarat quot qualesque sint libri ex quibus Scriptura inspirata constet.

In pag. 28, linn. 8-11, id scriptum invenimus: « Veritas enim seu id quod sacer auctor scripto significare voluit, non recte intelligitur nisi rite attendatur ad suetos illos nativos cogitandi, dicendi, narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigeant, quique tunc mutuo hominum commercio passim adhiberi solebant ».

Haec est sane norma hermeneuticae rationalis ab omnibus in librorum antiquorum, vel dissitarum gentium, interpretatione ab omnibus tenenda; sed cum de Sacris Litteris agatur e memoria interpretis, seu exegetae, necesse est numquam excedat auctorem principalem Scripturae esse Deum, qui nec falli nec fallere potest.

Propterea si exegeta diligenter attendere debet « ad suetos illos dicendi narrandive modos, qui temporibus hagiographi vigeant », ei numquam suspicari licebit Deum inspirasse etiam falsa quae hagiographorum aetate populus ex consuetudine cogitabat.



Sermo communis, seu popularis — quicumque est — a doctis quoque viris adhiberi solet, sed cogitationes quae falsae sunt a sapientibus non excipiuntur, et multo minus affirmari vel confirmari possent a Deo.

Idcirco opinor verbum *cogitandi* omittendum esse.

Sub n. 12, in eadem pag. 28, Sacrarum Scripturarum interpreti distincte commendatur ut respiciat ad genera litteraria; quae norma tam evidens est ut multis supervacaneum videri possit eam in praesens caput inseri.

Nihilominus opportunam ipsa praebet mihi occasionem id notandi: genus litterarium Librorum sacrorum *ferè* omnium constanti Ecclesiae traditione iam definitum esse.

Ceterum admitti non potest populum christianum et sacerdotes ipsos, quos Mater Ecclesia assidue per saecula verbo Dei *scripto* et tradito erudit, ignorasse usque adhuc genus litterarium Librorum Sacrorum, cum generis litterarii cognitio sit cardo *ipse*<sup>2</sup> totius interpretationis!

Propterea hac in re prudentissime et maxima cum cautela agendum est.

Quicumque enim interpres, etiam qui doctissimus sibi videtur, genus litterarium libri sacri cuiusvis ne ipse ante definiat quam Sanctos Patres Ecclesiae consuluerit et sensum Ecclesiae cognoverit.

Deinde: adnotationem quae affertur in hac ipsa pag. 28 linn. 21-28 retractandam vel saltem perficiendam esse censeo.

E. g. quam implicata est sententia quae linn. 22-24 legitur: « respiciendum est etiam ad contextum totius Scripturae in viva Ecclesiae traditione, sub analogia fidei »! *Est obscura!*<sup>3</sup> Cur non commemorantur *aperto sermone et ordinatim* regulae hermeneuticae catholicae? quibus praecipitur: 1. servandam esse semper analogiam fidei, seu doctrinam catholicam qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta est; 2. consulendos esse Patres Ecclesiae, quorum auctoritas permagna est, in primis si inter se consentiant; 3. adhaerendum esse sensui quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia.

Praeterea in textu, a linn. 24-28, velim dicatur locus Scripturae ad quos penitius intelligendos exegetae laborare deberent ut iudicium Ecclesiae maturetur, *esse paucos*, eosdemque difficiliore, de quibus — Ecclesia permittente — iam dudum disceptatur inter exegetas ipsos; quod, summis animo, propono ne quis putet Sacros Libros, in universum, nondum plene ab Ecclesia intellectos esse. Dixi.

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> (cf. *Io.* 20, 3; *2 Tim.* 3, 16; *2 Pt.* 3, 15-16).  
<sup>2</sup> deest.      <sup>3</sup> deest.



## 18

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KÖNIG  
*Archiepiscopus Vindobonensis*

*Patres venerandi,*

Loquor etiam nomine episcoporum conferentiae linguae germanicae.

Cap. III et IV *et quae sequuntur*<sup>1</sup> schematis *de divina revelatione* in forma emendata in genere placent.

Ad complendum schema autem addere velim quae sequuntur:

Scientia rerum orientalium in ultimis decenniis ope investigationum scientificarum multa protulit, quae miro modo veritatem historicam et fidem historicam Sacrae Scripturae imprimis etiam quoad Vetus Testamentum probant. Ita non paucae obiectiones disparuerunt quae adhuc in saec. XIX contra Sacram Scripturam, Vetus Testamentum imprimis eiusque authenticitatem movebantur.

Fructus harum investigationum ex parte scientiae rerum orientalium etiam exegesis in nostris temporibus ditiores faciunt et iure meritoque in cap. III schematis pauca exponuntur quomodo Sacra Scriptura sit interpretanda ...<sup>2</sup>, breviter disserendo de intentione hagiographi et de generibus litterariis, ita ut sensus Sacrae Scripturae melius et non raro profundius comprehendatur, et ita elementum divinum et elementum humanum melius distinguantur.

Attamen *ista*<sup>3</sup> scientia rerum orientalium insuper demonstrat in Bibliis Sacris notitias historicas et notitias scientiae naturalis a veritate quandoque deficere.

E. g., in Evangelio S. Marci, in cap. 2, in v. 26, legitur: Davidem intrasse in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum et panes propositionis manducavisse. De facto autem, sicut constat ex primo libro Samuelis in cap. 21, v. 1 ss., agebatur non de Abiathar sed de Abimelech patre eius.

*Insuper*,<sup>4</sup> apud Matthaeum in cap. 27, v. 9 legimus, in sorte Iudae Iscariotae impletam fuisse prophetiam Ieremiae. De facto autem citatur propheta Zacharia cap. 11, v. 12 s.

Insuper in Daniele cap. 1, v. 1 legitur regem Nabuchodonosor Ierusalem obsedisit in tertio anno regis Ioachim, i. e. in anno 607. De facto autem constat ex authentica chronaca regis Nabuchodonosor (edita a claro viro Wisemann ...<sup>5</sup>) obsidionem non potuisse locum habere nisi triennio postea.



Aliae indicationes geographicae et chronologicae eodem modo citandae essent.

Ad haec responderi potest, *et bene responderi potest*,<sup>6</sup> verbis quae leguntur in textu schematis, scil. in n. 13, lin. 36, ubi de condensatione Dei sermo est et hoc modo *in textu*<sup>7</sup> dicitur: « ... qua Dei verba humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus quoad omnia simile factum est ». (*Ita legitur textus*).<sup>8</sup>

Insuper ne auctoritas Sacrae Scripturae ullum detrimentum patiatur, sincere et sine ambiguitate loquendum est ...<sup>9</sup>. Scil. cognitionem hagiographi quoad notitias historicas, pro conditionibus temporis sui, necessario limitatam fuisse et Deum eum uti talem ad scribendum movisse. Si ita condensationem verbi divini, quoad omnia humano sermoni assimile facti, affirmamus, tunc melius defendimus verbum Dei in verbis hominum.

Omnibus his perpensis propono emendationem in n. 11, in pag. 27, in lin. 11, ubi legitur *quae sequuntur*<sup>10</sup>: « In sacris vero libris conficiendis Deus homines elegit, quos omnibus facultatibus viribus suis utentes », *et tunc propono ut*<sup>11</sup> inserantur haec verba: « limitibus suis non obstantibus », *et deinde*<sup>12</sup> « adhibuit ».

Et in pag. 27, linn. 16 ss., eadem res more positivo exprimatur. Hic enim *in textu schematis*<sup>13</sup> legitur: « Cum ergo omne id, quod auctor inspiratus seu hagiographus asserit » etc., usque ad lin. 21, hisce verbis substituere propono: « Cum ergo veritas — vel veritas Sacrae Scripturae — quam auctor inspiratus sive hagiographus asserere voluit retineri debeat asserta a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri integri cum omnibus suis partibus veritatem fideliter integre inconcusse docere profitendi sunt ».

Ita difficultates melius solvuntur et auctoritas Sacrae Scripturae melius defenditur. Dixi.

---

*In textu scripto tradito*: <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> (cf. n. 12). <sup>3</sup> laudata.  
<sup>4</sup> deest. <sup>5</sup> 1956. <sup>6</sup> deest. <sup>7</sup> deest. <sup>8</sup> deest. <sup>9</sup> non artificiose  
et cum timore. <sup>10</sup> deest. <sup>11</sup> nunc. <sup>12</sup> deest. <sup>13</sup> deest.

*Moderator*: Proxima congregatio generalis erit feria secunda, hora nona.

Em. mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.